



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Tractatus III. In Cæteros Libros Physicorum; Tertium, Quartum, Quintum,
Sextum, Septimum, & Octavum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

TRACTATUS III.

In Cæteros Libros

PHYSICORVM;

Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, Septimum & Octavum.

1. **I**bro 3^o agit Aristoteles de motu in genere & infinito; 4^o de loco, vacuo & tempore; 5^o de motu in specie: 6^o de Continuo, eò quòd motus sit ex continuis: 7^o de nonnullis ad agendum prærequisitis & motu projectorum: 8^o iterum de motu, mundi æternitate, primo motore, &c. hos verò ne toties motum interrumpamus, ad majorem claritatem, & confusionem tollendam, disputabimus; 1^o de infinito: 2^o de continuo, moti utriusque materiæ difficultatum affinitate: 3^o de loco & vacuo: 4^o de motu & tempore. De conditionibus verò ad agendum prærequisitis aliquid lib. 2^o diximus, & plura in libris de generatione dicemus. De cæteris denique, partim in libris de Cælo, partim in Metaphysica. Itaque sit

DISPUTATIO PRIMA

De Infinito.

D V B I V M I.

Quid sit & quomodo dividatur.

II. **D**E infinito in infinitum disputant Philosophi, & quòd plus naturam infiniti movent, eò minùs eam percipiunt, quia quidquid intellectus concipit, utpote finitus, finito modo concipit: unde illud explicabimus ad instar incomprehensibilem, dicendo potius quid non sit, quàm quid sit. Pro quo, sit

R E S O L U T I O I.

III. **D**ico 1^o, infinitum propriè (quidquid sit de impropiè dicto, quomodo longum tempus dicitur æternum. Dominus regnabit in æternum

& ultra Exodi 15^o. *ingens dicitur immensum, ut immensum pelagus: quod est magno numero existens dicitur infinitum, Sanctorum infinitus numerus Eccles. 1^o.) est quod non habet finem, sive, quod caret fine: unde liquet opponi finito; quia finitum est, quod habet finem: definitiones autem infiniti ab Aristotele allatæ cum illa coincidunt; sed advertere debes, si non, quod non habet finem, in definitione infiniti positum, non esse sumendum negativè, id est, præcisè pro ipsa negatione finis in quacumque re existente, alioqui punctum & quodlibet indivisibile Mathematicum dici deberet infinitum; sed positivè pro re in qua sit negatio finis, ob tantam partium intensionem vel extensionem, ut nullus sit earum finis.*

R E S O L U T I O II.

IV. **D**ico 2^o, ordinariè dividitur infinitum in Cathegorematicum & Syncathegorematicum:

M 3

ticum:

ticum: Cathegorematicum est, *Quod in partibus actu non habet finem*; unde communiter dicitur infinitum actu: Syncathegorematicum est, *Quod quidem in partibus actu habet finem, sed in partibus in potentia non habet finem*; unde communiter dicitur infinitum potentia, & exempli gratia, quia numero hominum existentium addi possunt plures & plures in infinitum, numerus hominum existentium dicitur infinitus potentia.

v. Adde infinitum Cathegorematicum communiter assignari quadruplex: primum in essentia, & est infinitum simpliciter, sive illud *quod est infinitum in omni genere entis & perfectionis*: secundum in intentione, & est quod *quidem in essentia finitum est, continet tamen gradus entis in ensi. uni certo æquales infinitos*: tertium in extensione, & est quod *secundum suas partes in infinitum protenditur, vel secundum longitudinem tantum, ut linea, vel secundum longitudinem & latitudinem, ut superficies, vel secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem, ut corpus*: quartum in multitudine, *ut numerus infinitus*: tria autem hæc ultima sunt tantum infinita in certo genere & secundum quid, ut patet.

D V B I V M I I.

An dari possit Infinitum Cathegorematicum sive actu.

VI. **N**egant è Realibus Thomistæ communiter, Soto, Toletus, Ioannes à S. Thoma, nostri Complutenfes, Aversa, Connimbricenses, &c. affirmant verò Nominales post Gregorium Ariminensem, Okam & Alensem: item Commentarii Parisienses, Vasquez, Hurtadus, Arriaga, Comptonus, & fufissimè Fafolus; cum quibus, sit

R E S O L U T I O I.

VII. **D**ico 1^o, Divina saltem virtute, dari potest infinitum actu, etiam in entibus completis. Ita Authores supra citati & Bacho noster in 2. Dist. 13. q. 6. art. 29.

VIII. Probatur, simpliciter dari potest infinitum potentia, sive Syncathegorematicum, ergo & actu, sive Cathegorematicum: Probatur antecedens, quia sunt infiniti homines, & sic de aliis, possibiles; cur enim unus potius, quam alius eorum numerus assignaretur, cui alius major addi non posset? præsertim cum objectum omnipotentia tantum augeri debeat, quantum prudenter potest, & prudenter augeatur, sicuti prudenter possibile dicitur, ubi in ente repugnantia, post debitum examen, non apparet, quæ, ut postea patebit, in tali hominum, & sic de aliis, infinito non apparet: unde in Concilio Constantiensi Sessione 15. damnatur Ioannes Huss-dicens, *Deum ad certum tantum numerum posse animas producere. Et Sanctus Augustinus lib. 12^o. de Civitate cap. 18. eos quippe (ait) infinitos esse certissimum est, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quantumlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione, atque scientia numerorum, non solum duplicari, verum etiam multiplicari. Ergo & actu, consequentia hæc n. 10. probabitur. Sed ante*

IX. Nota contra hanc probationem difficultatem magnam, objici posse: nempe, quod, sicut genus ex se est ad certum numerum specierum possibilem limitatum; ita species ad certum numerum

individuum possibilem limitata esse debeat. Sed id, non ita nos, qui in Porphyrio negavimus dari differentias per se & secundum se atomas, uti alios, arguet: quia consequenter negandum putamus genus esse ex se ad certum numerum generum possibilem limitatum, magis quam sit species ad certum numerum individuum limitata.

X. Probatur consequentia, quia omne infinitum potentia est infinitum actu, si redigatur ad actum, & si omnes ejus partes sumantur collectivè, faciunt infinitum actu: sed per Divinam potentiam ad actum redigi potest, & omnes ejus partes collectivè sumi, ergo, &c.

XI. Probatur hæc minor pro prima parte; quia ex parte omnipotentia in primis non est repugnantia, nisi sit ex parte objecti, ut patet; sed ex parte objecti nulla est, ergo, &c. Probatur minor, quia inter partes infiniti Syncathegorematici, si rerum permanentium, v. g. hominum, vel partium continui permanentis; nulla incompossibilitas; siquidem una non destruit aliam; nam homo hominem, & pars una lineæ alteram comparitur, ut patet, ergo, &c.

XII. Confirmatur infinitum potentia, sive Syncathegorematicum, potest adæquatè simul redigi ad actum omniscientia Dei, ergo & adæquatè simul ad actum omnipotentia, cum supponatur existentium possibilem infinitum: consequentia tenet à pari, & ulterius probatur; vel numerus entium infiniti Syncathegorematici, quæ adæquatè simul redigi possunt ad actum omnipotentia, est finitus & determinatus, vel infinitus & indeterminatus: si infinitus, sequitur intentum: si finitus, vel supra illud per omniscientiam videt Deus aliqua entia possibile, vel non? si sic, ergo videt Deus aliqua possibile, quæ non possent per omnipotentiam ponere, in quo est repugnantia in terminis; si non, ergo objectum omniscientia Dei non est infinitum, ita ut Deus semper plura & plura videre possit; sed finitum, ita ut plura super finita videre non possit, contra omnes: ergo, &c.

XIII. Probatur minor pro secunda parte; omnes partes infiniti Syncathegorematicè sumpti quoad numerum majorem & majorem in infinitum possunt distributivè sumi, ergo, & collectivè: antecedens admittitur ab omnibus; probatur consequentia; quia, cum eadem sint entia & non plura in collectione, quam in distributione, tota repugnantia, si quæ sit, sumi debet ex parte modi, videlicet, colligendi; sed ex parte illius modi nulla major repugnantia adferri potest, quam ex parte modi distribuendi, ergo, &c.

XIV. Confirmatur 1^o negationes hominum possibilem, lineæ infinitæ, &c. sunt actu, ut omnes fatentur; & sunt infinitæ, eo modo, quo negatio materia dicitur materialis, ergo sunt infinitæ actu: consequentia videtur legitima: major pro secunda parte patet: probatur pro prima; quia alterum contradictorium semper, & necessariò, existit; ergo, &c.

XV. Confirmatur 2^o Conclusio: nullus effectus debet denegari omnipotentia Dei, nisi ostendatur aliqua repugnantia se tenens, vel ex parte potentia agentis, vel modi agendi, vel ipsiusmet effectus; sed nulla potest ostendi ex parte alicujus istorum, ergo, &c. major est certa apud omnes orthodoxos, & probatur ex Disputatione præcedenti Dub. 30. minor probatur solutione objectio-

num;

num; consequentia patet.

xvi. Objicies 1^o ex Arriaga Physicæ Disp. 13. Sect. 4^o. num. 45^o. argumentum, quo probat omnes creaturas possibles esse finitas tantum: omnis longitudo finita, aut multitudo, potest successivè percurri, aut numerari, alioqui esset infinita: ergo si incipiamus numerare omnes homines, tandem sciemus omnem multitudinem finitam illorum, ita, ut supra illam, non possit alius homo componens cum præcedentibus numerum finitum, restare numerandus: ergo addito jam præcisè uno (si plures possibiles) supra præcedentes, resultabit multitudo infinita; quia præcedens erat maxima omnium finitarum; & hæc est major illâ, ergo erit infinita: & non erit infinita; quia finitum additum finito, non facit infinitum.

xvii. Addit autem præfatus author num. 46^o. quid autem sit ei (videlicet argumento) Respondendum; nec mihi occurrit; nec vidi in aliis; quia hoc argumentum non vidi propositum; malo autem fateri me non videre solutionem, quam dare aliquam, quam nec ego, nec ullus alius, intelligat. Verum

xviii. Respondeo 1^o, retorquendo hoc argumentum in æternitatem à parte post, quam argumentum illud convincit (si quid convincit) percurri posse, & sic esse finitam & infinitam, ac proinde repugnare, ut consideranti patebit, quod est hæreticum: 2^o, in homines possibles & negationes infinitorum hominum existentium, pro quorum Infinito numero eadem difficultas.

xix. Respondeo 2^o, distinguendo antecedens, omnis longitudo finita aut multitudo, secundum se & ut præcisè ab Infinito quod confluet per modum partis, sive distributivè sumpta separatim à cæteris, potest successivè percurri, aut numerari, concedo antecedens; sumpta in infinitum, & ut confluet in infinitum per modum partis, sive collectivè cum cæteris sumpta, nego antecedens: notandum enim est omnem longitudinem & multitudinem finitam, diverso sensu, posse esse finitam & infinitam.

xx. Instabis, omnis longitudo finita, aut multitudo distributivè sumpta percurri potest, ergo & omnis collectivè; consequentia hæc est bona; vel non stat nostra probatio minoris ad conclusionem pro secunda parte.

xxi. Respondeo 1^o, iterum retorquendo argumentum in æternitatem à parte post, homines possibles, &c.

xxii. Respondeo 2^o, distinguendo antecedens, omnis longitudo finita aut multitudo secundum se, & ut præcisè ab Infinito, quod confluet per modum partis distributivè sumpta, percurri potest, ergo & omnis collectivè eodem modo sumpta, concedo antecedens; sumpta in infinitum & ut confluet in infinitum per modum partis distributivè sumpta percurri potest, ergo & collectivè, ut sic nego antecedens: quia nequidem illo modo distributivè percurri potest, eò quòd ut sic, habeat infinitam longitudinem & multitudinem sibi conjunctam, licet materialiter & in se sit finita. Revera tam multum distinguuntur finitum secundum se seu ut præcisum ab infinito percurri posse, & finitum in infinitum seu ut confluet in infinitum percurri non posse; quantum distinguantur, finitum ut finitum percurri posse, & infinitum ut infinitum percurri non posse; quia finitum ut præcisum ab infinito est finitum, & finitum ut confluet in infinitum est infini-



tum, ut infra probabitur. Quare de hac difficultate paulò latius infra.

xxiii. Objicies 2^o, ponamus duas lineas esse puncto A. correspondentes, & utramque in infinitum protendi instar Pyramidis, sic ut lineæ costales magis & magis inter se distent; tandem distabunt inter se infinite: tunc Deus pro basi & costa ad costam, lineam trahat, hæc erit infinita, ut supponitur; & non erit, quia claudetur duobus punctis, ergo, &c.

xxiv. Respondeo 1^o, argumentum illud retorqueri in talem Pyramidem possibilem aut negationes similis Pyramidis existentis, quæ suo modo similem habent negativam protensionem, ut patebit attentè consideranti negativam Pyramidem loco realis.

xxv. Resp. 2^o, admissio casu, distinguendo assumptum; tunc lineæ à costa ad costam tracta erit infinita, si consideretur quatenus correspondet finitæ parti lineæ costalis secundum se, sive distributivè & ut præcisè à lineæ costali infinita, quam conflatur, nego assumptum: & Ratio est, quia ut sic non distat nisi finite à simili sibi correspondente parte alterius costæ, prout non distat nisi finite à prima parte finita, quæ puncto A. correspondet: si consideretur quatenus correspondet parti lineæ costalis, sumpta in infinitum, sive collectivè cum cæteris sumpta, & ut lineam costalem infinitam conflatur, concedo assumptum; sed sicut ut sic, non est una finita, sed plures, & infinita collectivè; ita lineæ per modum basis ab una parte unius costæ ut sic sumpta, ad aliam alterius costæ ut sic sumptam, unum tantum esse non potest, sed plures & infinita collectivè: eodem modo solvetur argumentum, quod difficilius putat, & hoc modo proponit P. Comptonus Physicæ Disp. 46. Sect. 5^a.

xxvi. Objicies 6^o, & difficilius: quia hujusmodi Pyramidalis figuræ in infinitum protensa, cujus cuspis sit hic, ducatur lineæ intra unum palmum cuspidis, lineæ erit unius palmi; post intervallum alterius palmi ducatur alia lineæ, illa erit duorum palmorum; & hoc modo in infinitum duci possunt lineæ, quæ se invicem excedent per unum palmum; ergo lineæ transversa terminativa, seu basis erit infinita; & non erit: erit, quia cum lineæ ille protendantur in infinitum, & consequenter infinite distent, lineæ illa necessarîo erit infinita: quod autem non sit infinita, inde videtur clare ostendi, quia uno tantum palmo excedit lineam



neam sibi proximam finitam, finitum autem additum finitico secundum omnes non facit infinitum. Quod autem sequatur aliquam ibi lineam necessario fore finitam & infinitam, ulterius probatur; nam linea aliqua transversa infinita necessario sequitur immediatè aliquam finitam, cum non sint interruptæ lineæ, ut supponimus. Deinde in ipsis lineis finitis, vel assignari potest ultima, vel non? si non, ergo sunt infinita lineæ finitæ invicem se uno palmo excedentes in longitudine; ergo aliqua ex lineis illis sunt infinita, cum infinitas excedant primam, quæ solam est unius palmi.

xxvii. Ad ista argumenta subdit P. Comptonus: Hæc est præcipua difficultas in hac materia, cui docti quidam recentiores admittentes nobiscum Infinitum fatentur omnino responderi non posse, nec aliam adhibent solutionem. Respondeo tamen primò hoc argumentum solvi ab omnibus debere in negationibus, quæ, cum undique sint in immensum diffuse, habent suo modo puncta, lineas, & superficies; ergo inter duas hujusmodi lineas in eis assignabiles, sunt aliæ transverse, modo in argumento proposito. Secundo urget eodem modo in lineis hujusmodi, quas Deus videt possibiles. Tertio, in æternitate à parte ante, & in tempore imaginario, quod jam inle ab æternitate paulatim fluxit: nulla enim est hora longior aliâ, & tamen tandem faciunt infinitum tempus imaginarium, & idem fuisset, si tempus etiam verum infinitum à parte ante fuisset transactum.

xxviii. Resp. ergo nullam esse assignabilem lineam finitam cui proxima sit infinita excedens illam tantum uno palmo, nec videri potest à Deo, quod non est, sed quâcumque finitâ assignatâ, non potest dici determinatè quot lineæ interjaceant inter illam & lineam aliquam infinitam: sicut ergo in tempore imaginario elapso non possunt, ita certò assignari dies, vel horæ sibi invicem succedentes, ut omnes fateri debent; ita nec hinc lineæ aut numeri; sed modo longè confusissimo componitur, tan unum infinitum, quam aliud, nec eadem claritas spectanda est in re aliqua infinita, atque finita. Ita verbotenus ille.

xxix. Sed contra: hæc P. Comptoni solutiones vix etiam ullæ videntur: quia, quod quæritur est, quomodo tempus imaginarium sit infinitum, sic, ut non componatur ex duobus finitis tantum? quomodo linea sit infinita, sic, ut quatenus infinita non excedat nisi uno palmo finitam, aut concludatur duobus extremis? ac proinde sint & non sint infinita: Ad hoc non Respondet P. Comptonus, nisi, quod in tempore imaginario elapso non possint certò assignari dies, vel horæ sibi invicem succedentes: quod vix est aliquid; quia si tantum sit infinitum per additionem diei ad dies finitos, non apparet cur ab Angelo, vel saltem Deo certò illius assignari non possint dies; id autem contendunt ista argumenta: deinde ratio quæritur, cur certò assignari non possint dies, vel horæ in tempore imaginario elapso sibi invicem succedentes, cum infinitum videatur debere esse infinitum per additionem finiti ad finitum, ut videntur argumenta ista convincere? eo usque non se extendit solutio ista; prudentiusque, nisi aliter argumenta solvantur, Responsum videretur intellectum hominum hinc esse in obsequium æternitatis & fidei captivandum; quia pro utraque parte videntur sequi contradictoria; hæc quidem contra negativam; alta autem contra affirmativam, videlicet Dei omnipotentiam, omniscientiam, &c. esse infinitam & non esse, ut supra vidimus; quæ intellectû pro utrâque parte suspensum relinquere debent, nisi probabiliter ostendatur nõ sequi, quod, an n. 24. fecerimus, tuo iudicio relinquo.

xxx. Objicies 3^o, non potest dari, quantitas infinitè parva actu; ergo nec infinitè magna actu: probatur antecedens, quia, cum sit essentialiter divisibilis, esset tandem indivisibilis, ac proinde quantitas & non quantitas: probatur consequentia, quia eodem modo se habet parum ad multum, quo multum cujus multiplicatione fit infinitum, ad parum.

xxxii. Respondeo negando assumptum; eo enim sensu, quo potest dari quantitas infinitè magna, potest dari quantitas infinitè parva; quia sicut quantitas potest secundum partes proportionaliter majores in infinitum crescere; ita & secundum partes proportionaliter minores, potest in infinitum decrescere. An autem hodie deveniri possit ad unam quantitatem actu in parvitate infinitam, sicut inde devenitur ad unam actu in magnitudine infinitam? videtur omnino quòd non, & est disparitas, in eo, quòd continuo non repugnet divisibilitas magni, bene autem indivisibilitas parvi, ad quam tandem devenit esset, uti ad infinitam illius parvitatem.

D V B I V M I I I.

An dari possit infinitum actu, in duratione, magnitudine, multitudine & intensione.

R E S O L U T I O I.

xxxii. **D**ico 1^o, virtute Divinâ dari potest infinitum actu in duratione.

xxxiii. Probatur, dies totâ æternitate à parte post futuri collectivè sumpti possunt dici infiniti actu in duratione; & idem est de cogitationibus angelorum & beatorum, singulis momentis, vel horis æternitatis futuri collectivè sumptis; ergo, &c. probatur antecedens, quia illi dies, & hæc cogitationes, collectivè sumpti non sunt finiti; quia omne finitum sumptione finitorum pertranari potest, illi non possunt; ergo sunt infiniti; non Syntheogorematicè; quia omnes collectiones & distributiones infiniti Syntheogorematicè sumpti actu & simul sumptæ faciunt infinitum actu & Cathogorematicum, ut patet ex dubio præcedenti; ergo, &c.

xxxiv. Objicies tamen: non potest unquam fieri una totalis & adæquata collectio omnium dierum æternitatis, vel cogitationum angelorum, &c. totâ æternitate futurarum, ergo, &c. probatur antecedens; quia nunquam sunt exituri omnes, & quilibet ultra se habebit alium, ergo, &c.

xxxv. Respondeo distinguendo antecedens, non potest unquam fieri, &c. si ly unquam sumatur pro tempore aliquo finito secundum se determinatè & distributivè sumpto, concedo antecedens, si sumatur pro tempore Infinito & conflato ex finitis temporibus pluribus in infinitum collectivè, nego antecedens; ad probationem verò antecedentis limititer distingue ly nunquam sunt exituri omnes; & adde aliquando verum fore dicere jam existunt omnes dies æternitatis, quando v. g. erit verum dicere jam existit tempus infinitum sive tempus constatum ex omnibus temporibus finitis possibilibus; quia de quocumque verum est dicere futurum est, aliquando verum erit dicere, jam est, sumendo ly jam, pro instanti, si futurum, sit in instanti adæquatè futurum; pro tempore infinito, si futurum, sit solo tempore infinito adæquatè futurum: quod omnes Adversarii admittere debent in diebus æternitatis à parte ante; non quidem uno instanti ut patet, sed tempore infinito & conflato ex omnibus

omnibus temporibus finitis à parte ante possibili-
bus, quod transit. Ex hac Responsione

xxxvi. Colliges quomodo respondere debeas
ad diversas instantias quibus Adversarii probare
conantur unam collectionem adæquatam & totalem; ut
cum dicunt, *Omnes dies illi numquam possunt exuere
omnem potentialitatem; semper retinent aliquam inadæ-
quationem, &c.* ubi distingues *ly nunquam* & *ly sem-
per*, ut statim; & adverte insuper illos terminos esse
mixtos ex ente & non ente, & proinde mirum non
esse, quòd, unà illius parte finitâ secundum se de-
terminatè & distributivè sumptâ non existente, a-
lia ut sic existat.

RESOLUTIO II.

xxxvii. **D**ico 2º, virtute Divinâ dari potest
infinitum actu in magnitudine,
multitudine & intensione.

xxxviii. Probatur 1º, dari potest in duratione;
ergo à fortiori, &c.

xxxix. Probatur 2º, probatione & confirmatio-
ne Resolutionis Dubii 2º.

xl. Confirmatur solutione objectionum. Ante
illam tamen, sit

EXPLICATIO

*Modorum quibus considerari possit infi-
nitum actu.*

xli. **H**æc explicatio admodum subserviet
solvendis objectionibus difficillimis,
quæ magno numero contra nostram sententiam
proponuntur, quas ut solvant, qui in hac de infini-
to sententia, nobiscum adstipulantur, duo in infini-
to actu distinguunt, materiale scilicet & formale:
materiale (inquiunt) sunt res five partes in infinito
contentæ; formale est ipsa infinitudo seu carentia
finis: tum dicunt, unum infinitum posse esse majus
alio materialiter, & secundum continentiam, ut est
numerus infinitus capillorum, respectu numeri in-
finiti hominum, quibus insunt; non tamen formaliter,
quia una carentia finis, non est major aliâ.
Sed

xlvi. Contra est, quòd sicut in infinito capillo-
rum sunt materialiter infinitæ capillorû myriades,
ita & in infinito hominû sunt materialiter infinitæ
hominum myriades; atque adeo (ut sic loquar) tot in
uno, quot in alio; ac proinde numerus infinitus
capillorum non potest esse major materialiter nu-
mero infinito hominum: deinde sicut, plerisque eor-
um confitentibus, materiale ternarij, v.g. tres uni-
tates, non distinguitur realiter ab ipso formali, si-
ve trinitate, sed illud materiale est per seipsum ter-
narijus; ita nec materiale infiniti, vel res finitæ infi-
nitæ multiplicatæ distinguuntur realiter ab ipso
formali, videlicet infinitudine (præsertim cum hæc
non sit pura negatio, ut patet ex dubio primo) sed
illud per seipsum est formaliter infinitum.

xlviii. Paulò aliter alij, duo in infinito distin-
guunt, majus latè, scilicet, & majus strictè; qui etiam
minus in eodem proportionaliter distinguunt: ma-
jus latè (inquiunt) est quod continet quid aliud:
majus verò strictè est id quod termino quantitatis al-
terum excedit, sive quod plura quanta continet, quàm
alterum; similiter distinguunt in infinito, totum &

partes: totum latè (inquiunt) est, quod includit alter-
rum & insuper aliud, quod id, quod est pars, non includit:
pars verò latè est, quæ includitur in alio, aliud insuper
includente: totum strictè est, quod includit alterum non
habens tot quanta, quot habet ipsum includens: pars stri-
ctè verò est, quæ includitur in alio & non habet tot
quanta ac ipsum: tum dicunt unum infinitum posse
esse majus altero; item totum posse esse totum
vel partem, si hæc omnia sumantur latè; non verò,
si hæc sumantur strictè.

xliv. Contra, non apparet quomodo unum infi-
nitum possit continere alterum infinitum, & insu-
per aliud: 1º, quia sicut in infinito omnium ca-
pillorum, imò & simul omnium hominum, non
sunt plures myriades, quàm in infinito hominum
tantum; ita nec unum infinitum potest contine-
re alterum infinitum, & insuper aliud: 2º illud
aliud, quod insuper includet, erit procul dubio
plura quanta, ac proinde faciet ipsum strictè ma-
jus, strictè totum, &c. sed inter infinita non
datur strictè majus, strictè totum, pars strictè,
&c. ut fatentur. Vnde pro alia explicatione

xlv. Adverte 1º, diligenter, infinitum posse du-
pliciter considerari: 1º in ratione totius: 2º in ra-
tione partium, ex quibus componitur.

xlvi. Adverte 2º, infinitum in ratione totius,
five totum infinitum, posse etiam dupliciter con-
siderari: nam 1º considerari potest pro ea parte,
quæ est infinitum, & versus illam partem v.g. o-
rientem vel occidentem, quæ dicitur esse infini-
tum; quomodo versus illam partem respondet im-
mensitati Dei: 2º considerari potest pro ea parte
quæ est finitum, quomodo est simpliciter fini-
tum, licet versus aliam partem sit simpliciter infi-
nitum.

xlvii. Adverte 3º, infinitum in ratione par-
tium, five partes infiniti, posse etiam dupliciter
considerari: 1º quatenus constant infinitum pro
ea parte quæ finitum est, quomodo possunt esse
plures in uno, quàm in alio; sic sunt plures uni-
tates in infinito ex capillis & omnium creatura-
rum, quàm in infinito hominum; plures pedes
in una ex duabus lineis hinc in infinitum exten-
sis, quàm in alia, si ab una tollas mille pedes, non
ab alia: cave tamen dixeris unum infinitum esse
majus alio; quia infinitum per respectum ad par-
tem versus quam finitum est, est simpliciter fini-
tum; ad illam autem *ly majus* dicit respectum; &
solum est infinitum per ordinem ad partem, ver-
sus quam est infinitum, & ad illam *ly majus* non
dicit respectum: 2º quatenus constant infinitum
pro ea parte quæ infinitum est, quomodo non
sunt plures in uno quàm alio, sed sunt infinitæ,
five (ut alij) finitæ infinities positæ; quia multa
finita finities tantum posita, non faciunt infini-
tum simpliciter, sed finitum; nec plures quoad
numerum, etiam materialiter, in collectione o-
mnium infinitorum, quàm in uno solo, licet possint
esse plures quoad diversitatem specificam entium,
quia ut sic esse possunt finitæ, ut suppono, licet sint
secundum numerum infinitæ.

xlviii. Dices, si Deus producat infinitum in
quolibet genere entis, plura producet, quàm si
infinitum hominum tantum, ergo in collectio-
ne omnium infinitorum sunt plures partes fini-
tæ (saltem materialiter) quàm in uno infinito tan-
tum.

xlix. Respondeo distinguendo antecedens, si
Deus

Deus producat infinitum in quolibet genere entis, plura producet, quàm si infinitum hominum tantum; si infinitum hominum spectetur versus illam partem, quâ finitum est, concedo antecedens: si spectetur versus illam partem, quâ infinitum est, nego antecedens; ratio est, quia versus illam partem continet omnes numeros à Deo imaginabiles; ac proinde omnes numeros, quibus omnia entia possibilia numerari possunt; quia continet numeros sine fine, ut patet; ac proinde infinities infinitos, ut consideranti patebit, in eoque maxime consistit difficultas cognoscendi naturam infiniti actu. Hinc

L. Colliges, quòd si Deus postquam creavit infinitos homines, alios infinitos creet, non creaturum plures spectato primo infinito pro ea parte, quâ infinitum est, sed tantum spectato infinito pro ea parte, quâ finitum est, vel prout est unum infinitum numero, & facit cum alio numerum finitum, videlicet binarium infinitorum, in quo est comparatio unius ad duplum, ac proinde finiti ad finitum in ratione numeri.

LI. Instabis; inde sequeretur totum non esse majus suâ parte, contra hoc Axioma communiter receptum, *Omne totum est majus suâ parte*, ergo solutio nulla.

LII. Respondent Doctissimi PP. Conimbricenses hb. 3^o. Physicæ cap. 8^o. q. 2. art. 4^o. Axioma illud in numero tantum finito locum habere, non in infinito. Eos impugnat P. Comptonus Physicæ Disputat. 46. Sect. 6^a. ajens: *At sanè hoc aperte videtur falsum: totum enim tam in numero infinito, quàm finito, partem includit, & aliud ei superaddit. Et, si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versus Orientem; deinde aliam ei uniret hinc productam in infinitum versus Occidentem, evidens est utramque simul esse longiorem alterâ, cum in infinitum ab utraque parte extendatur, quod neutri parti sigillatim sumptæ competit. Unde fatius esset milles negare infinitum, quàm ex illius concessione in eas angustias redigi, ut cogatur quis principio tam manifesto, ipsoque lumine naturæ noto, refragari.*

LIII. Sed mihi omnino verum dicunt PP. Citati; & contra impugnationem P. Comptoni est: 1^o quòd totum in numero infinito nihil addat supra partem, quâ parte infinita est; quia ut sic est partes sine numero innumerabiles; sed tantum supra partem, quâ parte finita est, quod omnino facit pro PP. Conimbricensium explicatione. Unde si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versus Orientem; deinde aliam ei uniret hinc productam in infinitum versus Occidentem, utraque considerata, quâ parte finita est, simul esset pro ea parte longior, quàm quælibet antea pro ea parte fuisset; non verò pro ea parte quâ infinita; quia pro ea parte non unirentur, ut manifestum est, nec aliæ sunt angustia (quidquid P. Comptonus) ad quas redigamur, principio isti refragando. Quare consequenter ad Instigam allatam

LIV. Respondeo distinguendo assumptum, sequeretur totum non esse majus suâ parte, considerata, quâ parte infinita est, concedo assumptum, idque fateri tenetur P. Comptonus, quandoquidem infra numer. 7^o. admittat in infinito numero aureorum esse infinities infinitos aureos, & consequenter in infinito numero numeros infinities in-

finitos: considerata, quâ parte finita est, nego assumptum; Axioma autem illud intelligitur deto- to & parte considerata, quâ parte finita sunt.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

Contra Infinitum in magnitudine.

IV. **O**bjicies 1^o, infinita magnitudo est immensitas; sed illa est propria Dei, ergo, &c.

LVI. Respondeo transeat major, distinguo minorem, immensitas imparticipata, independens & essentialis suo fundamento est propria Dei, concedo minorem; participata, dependens & accidentalis, qualis est infinita magnitudo, de qua hic, nego minorem.

LVII. Dixi transeat major, quia non omnis infinita magnitudo, ut v. g. illa quæ solum versus Orientem est infinita, est immensitas, nisi forte velis illam esse immensitatem versus Orientem tantum, secundum aliquam dimensionem, ac proinde secundum quid.

LVIII. Objicies 2^o, implicat partem esse æqualem toti; atqui talem fore sequitur ex infinito Catechorematico; ergo, &c. Probatur minor, sit linea infinita versus Orientem, ex qua Deus annihilaret mille pedes; vel quòd residuum est, etiam occupabit locum pedum annihilatorum, & consequenter æqualem toti, vel non? si prius, ergo pars est æqualis toti: si posterius, ergo residuum est infinitum, & non est; est, quia infinitum ablatione finiti non fit finitum; & non est, quia alios qui unum infinitum esset majus alio, v. g. totum majus hoc residuo, ergo, &c.

LIX. Multi fatentur hoc argumentum sibi negotium facessere: Respondentque concessâ majore de parte & toto propriè sumptis; negando sequelam, dicentes residuum, si bene applicetur, occupaturum quidem locum totius, imò & fore infinitum ex omni parte: negant tamen occupaturum locum æqualem toti: Ratio ipsorum est; quia sicut infiniti non datur mensura; ita nec æqualitas, vel inæqualitas, quæ mensuram sequitur. Sed

LX. Contra 1^o, illas partes propriè & impropriè dictas (& idem est de toto) rejecimus supra: 2^o inter infinita datur æqualitas, ut patet ex Symbolo Athanasii *totæ tres Personæ coætæne sibi sunt & coæuales*, ac proinde infiniti mensura infinita: 3^o quid confert illa bona facta applicatio? pedes enim annihilatos non restituit magis quàm ablata per impossibile à Deo Patre vel unicâ perfectione, illam ulla possibilis applicatio restituere posset: unde sicut Pater postea nunquam contineret omnem perfectionem aliarum personarum; ita nec residuum post quamlibet applicationem unquam contineret totum, quod ante annihilatos pedes continebat.

LXI. Respondeo concessâ majore, negando minorem; ad probationem admisso casu, Respondeo residuum pro ea parte, quâ infinitum est, non occupaturum locum æqualem toti, sed inæqualem mille pedibus; licet maneat infinitum versus Orientem, quâ parte infinitum erat; quia, ut bene probatum est, infinitum ablatione finiti, non fit finitum, etsi pro ea parte, quâ finitum est, fiat minus alio sibi æquali.


Instabis

LXII. Instabis, cum residuum sit infinitum versus Orientem, poterit saltem à Deo retrahi ad locum totius, & sic pars poterit occupare locum æqualem toti, quâ parte finitum est, ergo, &c.

LXIII. Respondeo distinguendo antecedens hujus argumenti, quod omnes fatentur esse ex difficultimis hujus materiæ: cum residuum sit infinitum versus Orientem; secundum quod infinitum est versus Orientem, sive secundum partes collectivè, quatenus infinitum conflant, sumptas, & infinitè versus Orientem sumibiles, poterit saltem à Deo retrahi ad locum totius, concedo antecedens; nec mirum, quia ut sic unum infinitum est materialiter æquale omnibus infinitis collectivè sumptis, ut supra ostensum est: secundum quod finitum est versus Occidentem, sive secundum partes finitas secundum se & distributivè finitè tantum versus Occidentem sumibiles, nego antecedens; quia, cum ut sic se habeat instar ligni pedalis ad bipedale, quod sine rarefactione aut replicatione non potest occupare locum adæquatum ligni bipedalis, ut omnes fateri tenentur, non potest sic retrahi, quin priorem locum deserat. Hinc

LXIV. Colliges 1º, quòd si Deus produceret duas lineas utrumque infinitas, puta versus Orientem & Occidentem, tot habituras ulnas, quot palmos versus Orientem & Occidentem, ubicumque fiat divisio; quia ut sic sumuntur secundum quod sunt infinitæ, sive secundum partes finitas in infinitum sumibiles; non verò si fiat divisio in medio, & postmodum sumatur initium mensuræ à quacumque determinata parte versus illam partem, in qua facta est divisio; quia ut sic sumuntur secundum quod sunt finitæ, sive secundum partes finitas finitè tantum, & usque ad partem illam finitam & ultimam, sumibiles; in finito verò non sunt tot ulnæ, quot palmi, ut patet.

LXV. Colliges 2º, quòd si crearet Deus lapides infinitos alternatim albos & nigros, quos disponderet in longum, deinde annihilatis nigris, conjungeret albos; solos albos, quâ parte infiniti, & quâ parte respondent mensuræ infinitæ occupaturos tantum loci, quantum albi & nigri simul ante occupabant; non verò, quâ parte finiti respondent mensuræ finitæ, sive locis annihilatorum secundum se & distributivè consideratorum; quia autem omnes communiter hoc modo illos considerant, hoc argumento confunduntur.



LXVI. Obijcies 3º, creet Deus infinitos lapides, qui omnes se invicem excedant uno palmo: tunc

quæro, an in tota illa multitudine, futurus sit lapis aliquis infinitè magnus, an non? non primum, quia videtur incomprehensibile, quòd detur lapis aliquis infinitè magnus, qui tamen alium finitè tantum proportionem unius palmi excedat: non etiam secundum; quia cum tota illa multitudo lapidum se excedentium sit actu infinita, debet constituere magnitudinem aliquam infinitam, & consequenter includere lapidem aliquem infinitè magnum, qui infinitis palmis minimum omnium excedat, ergo erit in-


finitus, & non erit.

LXVII. Respondeo admissò casu (qui tamen est impossibilis, quia in infinito non datur ultima pars, quæ ibi datur; nec in infinito ex majoribus & majoribus partibus in infinitum assignari potest una major infinitis collectivè, uno tamen pede tantum excedens majorem ex infinitis; nec datur pars maxima in infinito magnitudinis, quæ ibi daretur) ex tali multitudine nullum determinatum lapidem fore infinitè magnum; quia ibi semper fit respectus finiti, utpote uno tantum pede finitum excedentis, ad finitum: sed totam collectionem futuram infinitam magnitudinem.

LXVIII. Instabis, unus lapis determinatus istius magnitudinis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, ac proinde major infinità magnitudine; ergo unus erit infinitè magnus.


LXIX. Respondeo distinguendo antecedens, unus lapis, &c. erit uno palmo major infinitis, &c. distributivè sumptis, quomodo omnes sunt finiti in magnitudine, concedo antecedens; infinitis collectivè sumptis, quomodo tantum faciunt infinitam magnitudinem, nego antecedens.

LXX. Urgebis, ille lapis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, collectivè sumptis, ergo erit infinitus; probatur antecedens; sicut ex infinitis circulis concentricis se uno pede excedentibus (quos Deus producere potest) erit unus determinatus uno pede major infinitis facientibus infinitos circulos concentricos, collectivè sumptis; ita ille lapis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, collectivè sumptis.



LXXI. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem, Respondeo esse fallaciam in argumento isto: vel enim agnoscis primum circulum concentricum, qui ab infinitis aliis uno semper pede excedatur, vel non? si sic, in infinitis circulis sese circulantibus non magis habebis unum determinatum circulum circulantem infinitos alios, quam ex finitis partibus uni determinato pedi æqualibus infinitè extensis habeas unam partem determinatam terminantem infinitas alias: sed novos & novos sine fine circulantes habebis, sicuti in hoc casu novas & novas sine fine alias terminantes, habes: si primum circulum concentricum non agnoscas, sed intra circulum excentricum infinitum, supponas infinitos concentricos uno semper pede minores factos, falsum & impossibile supponis, videlicet dari posse unum determinatum circulum infinitum, qui uno tantum pede sit major alio finito concentrico, quod tam est impossibile, quam quòd, in infinitis partibus æqualibus uni determinato pedi infinitè extensis, dari possit ultima pars, sive pars, quæ aliquam præponat, nullam postponat, quod est infinitum in longitudine inter duo determinata puncta claudere.

Adde



LXXII. Adde circulum infinitum repugnare, haud secus quàm finitum, quâ parte finitas partes respicit, esse infinitum, repugnet, quia quamdiu circulum concipis, semper terminos lineæ transferlæ, quæ in circulo infinito infinita esse deberet, concipis.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

Contra Infinitum in multitudine.

LXXIII. **O**bjicies 1^o, omnis multitudo est numerabilis, ergo dari non potest infinitum in multitudine: Probatur consequentia, quia illud esset numerus non numerabilis.

LXXIV. Respondeo distinguendo minorem; atqui omnis numerus est numerabilis numeratione finitâ, si finitus, infinitâ, si infinitus (nam si sol in æternum moveretur adhuc esset tempus extrinsecum, sive numerus & mensura omnium motuum successorum particularium) concedo minorem; finitâ tantû, nego minor. unde nego consequentiâ.

LXXV. Objicies 2^o, secundum te, si posset Deus producere infinitum in multitudine, posset simul & semel omnia possibilia producere: sed hoc dici non potest, ergo, &c. probatur minor, quia exhauriretur Dei Omnipotentia.

LXXVI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in Omniscentiam Dei; si posset Deus scire infinitum in multitudine, posset simul & semel omnia possibilia scire: hoc dici non potest, ergo, &c. minor probatur, quia exhauriretur Omniscentia Dei, ergo, &c.

LXXVII. Respondeo 2^o, negando minorem, intellectâ majore de entibus non essentialiter successivis; ad ejus probationem nego assumptum, quia non exhauriretur Omnipotentia, magis quàm Omniscentia, sed objectum: vel, si vis, aliter distinguo antecedens, exhauriretur Omnipotentia defectu se tenente ex parte ipsius omnipotentiae, nego antecedens: defectu se tenente ex parte objecti, videlicet quod aliud insuper non esset possibile, concedo antecedens; sed hoc non magis est respectu Omnipotentiae Dei absurdum, quàm illam non posse producere non possibile, sive impossibile.

LXXVIII. Objicies 3^o, producat Deus infinitos homines, quorum singuli habeant unum panem, vel potius aureum unum, cui sit nomen cujusque proprium inscriptum; & tum istos in cumulum projiciant: si unus centum accipiat &c. Deus velit postea cuilibet unum ex illis reddere, centum erunt sine ut patet: si verò Deus, illis nunc primum in cumulum projectis, adjiciat centum, & cuilibet reddat unum ut ante, centum erunt superflui, ergo unum infinitum, etiam quâ parte infinitum, est majus altero, saltem materialiter.

LXXIX. Respondeo admissio casu, homines & aureos attendi, aut quatenus se se singuli reciproce respiciunt? & sic sunt finiti. nec infinitum constant; unde mirum non est, si, illis consideratis ut sic, in primo casu centum essent sine aureo, & in secundo centum superabundantes: aut quatenus tam homines, quàm aurei constant infinitum quâ parte infinitum est? & sic consequenter non debet fieri comparatio finiti ad finitum, unius ad unum, in quo plu-

res decipiuntur, sed infinitorum ad infinitos; & dicere oportet quod quilibet homo potest infinitos aureos recipere, prout sunt infinites infiniti homines, quorum nomina sunt in aureis illis scripta: unde tota fallacia provenit ex defectu penetrationis naturæ infiniti.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

Contra Infinitum in intensione.

LXXX. **O**bjicies 1^o, si posset dari infinitum in intensione, posset dari vis intelligendi infinita, & lumen gloriæ infinitum, ac per consequens posset Deus comprehendi; sed hoc implicat, ergo, &c.

LXXXI. Respondeo negando sequelam (quamquam fortè secundum potentiam absolutam admitti possit, quod, Deo dante, examinabimus in Theologia) quia inde tantum sequitur, quod posset in Deo cognosci infinitæ perfectiones; non verò quod Deus posset cognosci quantum cognoscibilis est, quia est infinite infinites cognoscibilis ab intellectu Divino, qui creaturæ non convenit.

LXXXII. Objicies 2^o, posset dari actus charitatis per quem creatura amaret tantum Deum, quantum amari potest; sed hoc implicat, ergo, &c.

LXXXIII. Respondeo distinguendo majorem, posset dari actus charitatis per quem creatura amaret Deum tantum, quantum amari potest voluntate creatâ & participativè, concedo majorem; voluntate increatâ, impativè & essentialiter, nego majorem: de quo iterum in Theologia.

LXXXIV. Objicies 3^o, posset dari gravitas infinite intensa, atque adeo lapis infinite gravis moveri in instanti; sed hoc implicat, cum in motu fiat transitus à termino à quo ad terminum ad quem, qui non potest haberi in instanti, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1^o, argumentum nimum probare, scilicet virtutem Dei motivam implicare; quia infinite gravi aditior est; non potest tamen in instanti movere quidquam localiter, prout motus dicit successionem, de quo in Objectione.

LXXXVI. Respondeo 2^o, negando majorem, nam posset quidem moveri celerius & celerius in infinitum, quàm moveatur finitè tantum grave; non tamen in instanti; quia implicat motum localem fieri in instanti prout dicit successionem, de quo in Objectione, ut dictum est.

MIRANDÆ SEQUELÆ.

Ex natura infiniti pro ea parte, quâ infinitum est.

LXXXVII. **D**ixi pro ea parte, quâ infinitum est, quod est valde distinguendum, quia planè aliter est de eo Philosophandum pro ea parte, quâ finitum est. Itaque

LXXXVIII. Sequitur 1^o, in infinito hominum, quâ parte infinitum est, non esse plures capillos, quàm homines: 2^o in infinito doliolum vini, non esse plures guttas, quàm dolia; imò quod si Deus ex infinitis doliis sumeret infinitas guttas, & reliquum in quolibet dolio annihilaret, per infinitas illas guttas iterum posse repleri infinita dolia: 3^o in infinita linea versus Orientem non esse plu-

res palmos quam ulnas; in spatio infinito non esse plures passus quam milliaria: 4^o in aeternitate Dei à parte ante aut creaturarum à parte post, non esse plures horas, quam annos; plures annos, quam saecula; sanctum unum mille & pluribus annis post alium non pauciores eliciturum cogitationes per totam aeternitatem, quam alium, etiam si hic singulis momentis unam eliceret, alter verò non nisi unam singulis centum annis: 5^o in infinito unitatum non esse plures unitates, quam in infinito Myriadum: 6^o infinita grana arenæ non occupatura minorem locum, quam infiniti montes.

LXXXIX. Fateor hæc primo intuitu videri incomprehensibilia; sed hoc fit ex eo, quòd tot capillos per ordinem ad unum hominem; guttam per ordinem ad dolium; palmum per ordinem ad ulnam; horam per ordinem ad annum; & sic de cæteris, quomodo finita sunt, concipiamus: si verò omnia per ordinem ad ulteriora & ulteriora in infinitum, & collective, concipiamus, sunt comprehensibilia, per hoc quòd appareant infinita, & infiniti dari non possit excessus; quia ubi daretur, finiretur infinitum, ac proinde esset infinitum & non esset, ut patet; quare dicendum est illa convenire infinito essentialiter, nec Deum excessum in uno super aliud videre pro ea parte, quæ infinitum est.

LXXX. Nec dicas, ex præmissis Deum tantum honorandum & glorificandum ab uno beato, quantum ab omnibus simul; quia quæ parte aeternitas finita est, & quæ parte illi actus finiti sunt, longe magis ab omnibus, quam ab uno est Deus honorandus & glorificandus; nam uno instanti unus unum actum tantum elicit; omnes verò, myriades simul eliciunt; Deus autem non attendit ad aeternitatem suam, quæ est tota simul, sed ad aeternitatem beatorum, à quibus honoratur & glorificatur, quæ est per tempora finita in infinitum & successive; deinde non attendit ad omnes cogitationes beatorum tota aeternitæ futuræ collectivè, sed distributivè, eo modo quo illas singulis momentis eliciunt, volens singulis momentis ab uno magis, ab alio minus, in mercedem meritorum suorum, glorificari, quod alioqui non posset.

Q V Æ S T I V N C V L A.

LXXXI. Q Vares 10. An corpus infinitum, quæ parte infinitum est, posset moveri localiter.

LXXXII. Respondeo non posse per lineam rectam; quia deberet aliquid spatii recti deserere, ut patet, & novum rectum acquirere, quod repugnat infinito: posset supra & infra, ad dexteram & sinistram; quia hæc cessat illa ratio: quid si infinitum ex omni parte? admittunt omnes communiter post Gregorium Ariminensem posse moveri circulariter; sed, id videtur omnino negandum; quia si posset moveri circulariter posset circumdari circulo, ac proinde infinitum utrumque in magnitudine, posset terminari duobus punctis illius circuli; quod admitti non debet; quia non apparet quomodo infinita magnitudo duobus terminis concludi possit (quidquid dixerint Arriaga, Poncius, & alii plures) si enim

posset infinitum ita concludi, posset consequenter habere figuram; quia tantum negatur posse habere figuram, eò quòd figura est terminus quantitatis; non video autem qualem figuram res infinita habere possit.

LXXXIII. Quæres 2^o an infinitum, si quod daretur, esset determinatum.

LXXXIII. Respondeo affirmativè; quia à Deo produceretur; quidquid verò à Deo producitur non potest habere existentiam vagam & indeterminatam: licet autem infinitum non constaret certâ parte finiente & ipsum terminante, quo sensu posset dici indeterminatum, vel potius interminatum, constaret tamen his potius partibus, quam illis; quod sufficit ut dicatur habere existentiam determinatam, & non vagam. Hinc

LXXXIV. Patet quo sensu loquatur S. Thomas dicens Deum volentem producere infinitum, non posse se determinare quantum producat, quia infinitum non potest cadere sub certam intentionem & cognitionem: id enim verum est, si loquatur de infinito quoad certam intentionem & cognitionem partis finientis ac terminantis, falsum quoad intentionem & cognitionem aliquarum partium præ cæteris componentium infinitum: hinc dic contra P. Poncium Disput. de infinito num. 23^o. Deum non posse ita numerare partes omnes infiniti, easque tam distinctè cognoscere, ut nobis significare possit, quot sunt; quia sic deberet partem finientem & terminantem distinctè cognoscere, quæ non est in infinito, pro cujus clariori intelligentiâ, fit

D V B I V M I V.

An possit Deus producere Infinitum habens finem & terminum.

LXXXV. A Nte Resolutionem Suppono finem sive terminum hæc posse esse duplicem: intrinsecum scilicet, & extrinsecum; intrinsecus est, qui est aliquid rei, & rem terminat, sic tertius pes est terminus intrinsecus ligni trepidalis; terminus extrinsecus est, qui nihil est rei, ultra quem tamen res extendi non potest, sic pes quartus est terminus extrinsecus lineæ trepidalis, & hora secunda terminus extrinsecus parvum horæ primæ. Hoc supposito, fit

R E S O L U T I O I.

LXXXVI. D Ico 1^o. Infinitum in multitudine potest habere terminum extrinsecum suæ multitudinis, & intrinsecum, tam extensionis localis, quam temporalis.

LXXXVII. Probatur prima pars; quia partes proportionales lineæ trepidalis pro termino extrinsecum horæ primæ habent pro termino extrinsecum horam secundam, & tamen sunt infinitæ numero, sive multitudine, ergo, &c.

LXXXVIII. Confirmatur communiter admittunt Philosophi intra quascumque duas species assignabiles, v. g. inter hominem & bovem posse dari infinitas species perfectiores, earum imperfeetore, exempli gratia, bove; sed illæ includuntur inter duos terminos extrinsecos, ergo, &c.

N

Nec

LXXXIX. Nec putet hinc fore ut homo sit infinitè perfectus in quantum erit perfectior infinitis; quia non erit perfectior infinitis collectivè sumptis, quomodo faciunt perfectionem entium intra illas duas species conclusorum numero infinitam, sed distributivè tantum, pro quo vide solutionem ad objectionem secundam contra infinitum in magnitudine.

R E S O L U T I O II.

C. **D**ico 2°. nullum in extensione infinitum, permanens aut successivum, potest habere terminum, sive intrinsecum, sive extrinsecum suæ extensionis.

CI. Probat; quia, vel ille terminus à prima parte illius infiniti versus illam partem quæ finitum est, distaret finitè, vel infinitè? non primum, quia alioqui infinitum in extensione contineretur intra duos terminos in extensione finitos, sive finitè tantum distantes, ac proinde non esset infinitum: non etiam secundum; quia si ab illa infinitè distat, quomodo illam terminare potest? terminus enim non potest infinitè distare à terminato, ut patet.

CII. Dices fortè ex P. Poncio, illam non terminare immediatè, sed mediantibus aliis partibus infinitis in extensione, quas immediatè terminat sed contra quomodo illas infinitas partes in extensione immediatè terminat, si infinitè in extensione & interminabiles? Hoc prius ostendendum est. Hinc fit

R E S O L U T I O III.

CIII. **D**ico 3°. nullum infinitum potest habere terminum intrinsecum in eo genere in quo est infinitum.

CIIV. Probat, quia alioqui esset infinitum in illo genere, & non esset; esset ut supponitur; non esset, quia esset terminatum in suo genere, sive haberet terminum; ergo, &c.

D V B I V M II.

An divini virtute produci possit creatura aliqua particularis essentialiter infinita perfectionis citra independentiam.

CV. **S**ensus dubii est: an Deus possit producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, sive tam perfectam ut perfectiorem producere non posset: negant Thomistæ communiter, Suarez, Conimbricenses, Complutenses nostri, Fasolus, Poncius, Mastrius, Hurtadus, Ovidus, Comptonus, &c. affirmant noster Bacho in primum distinct. 44^a. quæst. 1^a. art. 2^o, Durandus, Ockam, Henricus, Aureolus, Ariaga, &c.

R E S O L U T I O.

CVI. **D**ico, potest Deus virtute sua absoluta producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, sive tam perfectam ut perfectiorem producere non possit.

CVII. Probat 1^o. potest Deus virtute sua absoluta producere lineam omnium linearum lon-

gissimam, infinitam v. g. versus Orientem & Occidentem, & corpus ab omni parte in magnitudine infinitum, ac proinde illi communicare suam extensionem localem & immensitatem citra independentiam, quidni & alteri creaturæ suam omniscientiam, omnipotentiam, &c. citra independentiam? sed illa creatura esset essentialiter omnium creaturarum possibilium perfectissima, ergo, &c.

CVIII. Dices ex P. Poncio, si Deus posset ulli creaturæ communicare suam immensitatem, omniscientiam, omnipotentiam, &c. posset & suam independentiam, sed hoc dato (quod tamen impossibile omnino est) illa creatura non esset omnium possibilium perfectissima; ergo, &c. minor patet; Probat major à pari.

CIX. Respondeo negando sequelam majoris; quia in independentia limitationis fundatur tota distantia & distinctio Dei à creatura; non verò in immensitate, omniscientiâ, omnipotentia, &c. participatis, & si posset Deus communicare suam independentiam posset esse plures dii, vel posset cessare esse positivè perfectissimus in omni genere perfectionis, v. g. in genere perfectissimi Domini omnium entium, quæ non sunt Deus, quod tamen est conceptus Deo essentialis; per hoc verò quòd communicet suam immensitatem, omnipotentiam, omniscientiam, &c. citra independentiam, non cessat esse positivè perfectissimus in omni genere perfectionis, quia retinet omnes suas perfectiones independentes independentiâ limitationis à quo cumque alio, & non communicat nisi dependentes.

CX. Probat 2^o, si daretur creatura cui Deus se communicaret, quantum est communicabilis ad extra, ea esset omnium possibilium perfectissima; atqui hæc prudenter dicitur possibilis, si ex eo quòd in actu ponatur non sequantur duo contradictoria, ergo, &c. major patet; Probat minor, quia in eo nulla apparet repugnantia.

CXI. Respondet P. Ovidio probationem hanc habere fallaciam latentem valde; se tamen uno verbo illam aperire & argumentum dissolvere, negando suppositum; quia (inquit) cum dicitur, Deum posse producere creaturam perfectissimam, quam potest producere, supponitur inter creaturas, quas potest Deus producere, esse aliquam perfectissimam, quæ dicitur posse à Deo produci: quæ suppositio est falsa. Sed

CXII. Contra, quæro quare illa suppositio est falsa; possum enim elicere visionem perfectissimam omnium visionum, quas elicere possum, quidni & Deus producere posset perfectissimam omnium creaturarum, quas producere potest? ad hoc enim ut falsitas suppositionis prudenter allegetur, videndum prius, an re bene perpensa, iudicetur duo contradictoria sequi ex eo quòd possibilis dicatur, an non potius oppositum, uti hic.

CXIII. Nec dicas Deum non posse ponere numerum maximum numerorum partium continui divisarum, quos ponere potest; quia alioqui continuum remaneret indivisibile; eò quòd Deus non posset majorem numerum divisionum ponere. Nam posset adhuc multos minores numeros ponere, imò & multos æquales, sicut creatà unâ omnium creaturarum possibilium perfectissimam citra independentiam posset adhuc multas imperfectiores producere, imò & multas æquales, quod non obstaret quominus

minus produxisset perfectissimam negativè, de qua tantum procedit Resolutio, & non de perfectissima positivè; quidni enim posita una perfectissima possibili, altera similis esset etiam possibilis; ex quo patet, quòd continuum non remaneret indivisibile.

cxiv. Confirmatur 1^o. sicut potest Deus hoc instanti creare omnia creabilia hoc instanti, ita potest hoc instanti creare creaturam omnium creabilium hoc instanti perfectissimam; ac proinde, sicut potest hoc instanti creare creaturam omnium creabilium hoc instanti perfectissimam, ita absolute potest creare creaturam absolute perfectissimam; ergo, &c.

cxv. Confirmatur 2^o, ad prudenter judicandum de rei possibilitate, videndum, an post doctum & maturum examen; ex eo quòd saltem per potentiam Dei absolutam res poneretur in actu, sequerentur duo contradictoria, ut supra Disput. 8. Dub. 3. ostendimus ab autoritate & ratione: atqui ex tali creatura in actu posita non sequerentur, ergo, &c.

cxvi. Objicies 1^o ex P. Comptono Disput. 46. Physic. sect. 7. hæc Resolutio convinceret 1^o dari ultimam durationem à parte post: 2^o dari ultimum numerum omnium finitorum: 3^o dari ultimam divisionem continui: juxta hoc argumentum, potest Deus designare durationem Angeli ab hac hora remotissimam, quam potest: potest producere ultimum numerum, quem potest; potest ponere ultimam divisionem continui, quam potest, &c. sed hæc sunt evidenter falsa, ergo & Resolutio.

cxvii. Confirmatur, si quæ creatura esset talis, maximè esset aggregatum ex omnibus creaturis possibilibus; sed illa non est talis, ergo, &c. Probat minor, quia sicut aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus non est numerus omnium finitorum perfectissimus; alioqui vel una unitate addita fieret infinitus, & sic finitum additum finitum faceret infinitum, ita nec aggregatum ex omnibus creaturis possibilibus est creatura omnium possibilium perfectissima.

cxviii. Respondeo negando assumptum: quia ex illis post doctum & prudens examen omnino videntur sequi duo contradictoria: ex primo quidem æternitatem esse finitam & infinitam, ex secundo autem, ex duobus numeris finitis fieri numerum infinitum; ex tertio denique continuum constare ex puris punctis: quæ, ut suis locis ostendimus, contradictoriè repugnant: at ex creatura omnium omnino, sive finitarum, sive infinitarum perfectissima, nullo modo post debitum examen judicamus talia, aut similia contradictoria sequi; & ex opposita sententia talem creaturam negante, contradictoria non obscure inferimus, videlicet, Deum posse & non posse producere creaturam infinitam in magnitudine, duratione & intensione; posse quidem ob argumenta dubis præcedentibus præmissa, non posse verò, quia per te non posset in aliis generibus infinitam, sicut in illis, producere; si sic, infero à pari, ergo nec in his; unde poterit, & non poterit talem creaturam producere.

Ad Confirmationem

cxix. Respondeo non tantum aggregatum illud esse tale; sed & esse possibilem unam simplicem istius aggregati perfectiones continentem; quia, quæ sunt in imperfectioribus dispersa, in perfectiori reperiuntur unita: ulterius autem nego minorem; & ad

ejus probationem, Respondeo, quandoquidem idem numerus sit finitus, & infinitum constet, aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus, considerari posse dupliciter: 1^o quâ parte numeri sunt finiti: 2^o quâ parte sunt infiniti, sive quâ parte infinitum constant: si 1^o modo, quandoquidem supra omnem numerum finitum, sit aliquis infinitus; qui ex infinitis unitatibus constatur, clarum est assignari non posse numerum omnium finitorum perfectissimum; quia semper restabunt plurimæ unitates ex numero infinito illi addibiles & illius perfectivæ: si secundò modo, aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus procul dubio est numerus omnium omnino numerorum, & finitorum, & infinitorum perfectissimus, quia omnes numeros posibles involvit, ex quo conficio argumentum pro nostra sententia, potest dari numerus omnium omnino numerorum perfectissimus, ergo potest dari creatura omnium creaturarum perfectissima, consequentia tenet à pari.

cxix. Objicies 2^o autoritatem S. Dionysii de divinis nominibus cap. 8, Dicamus, &c. quodque possit (scilicet Deus) etiam infinite alias infinitas potentias, præter eas, quæ sunt, in lucem proferre; neque unquam potentiam infinitam & infinitam in lucem probare, effectivam potentiarum effectricis ejus potentia, quæ omnem infinitatem superat, obscurare & obruere possunt.

cxxi. Confirmatur ratione Divi Thomæ, quæcumque creatura supponatur producta, quantumvis perfecta sit, infinite distat à Deo, ergo poterit aliqua perfectior excogitari, media inter illam creaturam & Deum, quæ creaturam jam productam perfectione exsuperet, & maneat longè inferior Deo, ergo, &c.

cxxi. Respondeo S. Dionysium solum velle Deum præter potentias, quæ sunt in lucem de facto positæ, posse infinitas alias proferre; nec Deum unquam positurum tam multas, ut obscurare & obruere possint ejus effectricem potentiam; quia scilicet nullam unquam produceret à se non dependentem, & à se non infinites producibilem (si nimirum non sit essentialiter alligata tempori) prout est potentia Dei effectrix à creatura non dependens, & à creatura nequidem semel producibilis.

Ad Confirmationem

cxxi. Respondeo, concessio antecedente, negando consequentiam; quia creaturæ infinita distantia à Deo non consistit in eo, quòd inter illam & Deum sit alia perfectior ipsa & Deo imperfectior, sed in eo, quòd Deus habeat infinitas perfectiones, & creatura nullam ex illis; quia omnis perfectio Dei dicit independentiam ab alio, quod est, non Deus; & omnis perfectio creaturæ dicit dependentiam ab alio, quod est Deus: sic patet ad totum fundamentum P. Oviedi.

cxxiv. Objicies 3^o. in numeris oportet in infinitum ire, nec ullus assignari potest, quò non possit assignari perfectior; ergo similiter in creaturis potest in infinitum iri, nec ulla assignari potest, quæ non possit assignari perfectior.

cxv. Respond. distinguendo antecedens, in numeris rerum permanentium oportet in infinitum ire, nego antecedens; possunt enim simul & semel omnes poni; successivarum, ad quos attendit S. Augustinus 12. de Civit. cap. 8. dum dicit numeros sine fine posse augeri, concedo antecedens; sed hoc non impedit quominus detur creatura om-

nium possibilium perfectissima; quia non est necessarium quoddam contineat formaliter perfectiones entium essentialiter successivorum; sed satis est, quod illas contineat eminenter: deinde in infinito in multitudine rerum possibilium continentur omnes numeri rerum omnium successivarum, ut patet ex dictis supra: unde licet in numeris rerum successivarum oporteat ire in infinitum; id tamen non obstat quominus detur unus absolute omnium numerorum negativè perfectissimus, ita ut Deus non possit positivè perfectiorem producere, prout contendit nostra Resolutio.

CXXVI. Obijcies 4^o. saltem ex Resolutione ista sequitur illam creaturam habere perfectionem simpliciter infinitam, quandoquidem infra illam sint creaturae illa imperfectiores, infinitae possibiles.

CXXVII. Respondeo negando sequelam; quia cum vix assignari possit species, quae sub se infinitas imperfectiores geometricè & secundum aliquam proportionem non contineat, omnes etiam valde imperfectae species, haberent perfectionem simpliciter infinitam, quam tamen Theologi soli Deo, sive enti habenti perfectionem simpliciter simplicem, seu nullam includenti imperfectiorem, concedunt: unde calculatio ista omnino fallit, nec vera est, nisi secundum proportionem, secundum quam fit accretio; sic nempe, ut sit geometricè & proportionaliter perfectior, & ista, quae est finitae perfectionis, & ista hanc imperfectiorem, & ista hanc iterum imperfectiorem, & sic in infinitum; non verò sic, ut sit arithmeticè & simpliciter perfectior una vel pluribus creaturis simpliciter infinite perfectis.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Continuo & ejus Continuatione.

I. Continui difficultas continua est, uti & infiniti infinita; tantumque Philosophos hucusque; torfit, ut nullus sanæ mentis sit, qui sibi ex integro satisfactum asserat; unde merito eximius Dominus Fromondus Doctor Lovaniensis materiam de Continuo Labyrinthum vocat, quem plures intrent, sed nullus, alioqui etiam longè eruditissimus, exeat. Ut tamen aliorum more de Continuo aliquid disputemus, sit

D V B I V M I.

Quid & quotuplex Continuum.

R E S O L U T I O I.

II. Dico 1^o. Continuum hic juxta Aristotelem lib. 6^o. cap. 1^o. est *cujus partes loco immediate sunt unum*, puta unitate morali; quia non datur continuum, ut infra ostendemus, continuatio realis: contiguum autem juxta eundem, est, *cujus partes loco immediate sunt multa*, id est, non unum unitate morali, sed multa multitudine opposita uni unitate morali; inter quae autem loco immediata reperitur unitas moralis, & inter quae multitudo moralis, infra patebit.

R E S O L U T I O II.

III. Dico 2^o. continuum, aliud permanens, & est *cujus partes simul existunt*, ut materia prima: aliud successivum, & est *cujus partes fluxu quodam alie aliis succedunt*, ut tempus.

D V B I V M II.

An Continuum componatur ex puris indivisibilibus mathematicis.

IV. Ante Resolutionem suppono indivisibilia mathematica, ut opponuntur Physicis, esse illa, quae omni omnino parte destituuntur, sic ut nec ab ipso Deo dividi possint: Physica verò ut opponuntur ma-

thematicis, quae quidem absolute habent partes, sed sic, ut naturaliter dividi non possint; vel ob exiguitatem; vel ob qualitates divisioni repugnantes: tamen divinitus à Deo dividi possunt. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

V. Dico contra Zenonem & alios ex antiquioribus Stoicis, è recentioribus verò Gregorium Ariminensem, Cornelium de Sancto Patricio, Arriagam, Tellez, & alios, quos hic magno numero Physicæ Disput. 35^a. sect. 1^a citat: continuum permanens non componitur ex puris indivisibilibus mathematicis. ita D. Fromondus in suo Labyrintho cap. 25. Suarez, Conim, Hurta, dus, &c.

P R O B A T I O I.

Ex hoc Axiomate Indivisibile additum indivisibili non facit majus.

VI. Probatur 1^o ratione Physicæ desumptæ ex Aristotele lib. 6^o. cap. 1^o: evidens est continuum aliquod integrum esse majus & magis extensum, quam sit quælibet ejus pars; item ex additione novarum partium, ex quibus componitur fieri majus & extensius; atqui *indivisibile additum indivisibili non facit majus*, ergo continuum non componitur ex puris indivisibilibus mathematicis: minor probatur, & confirmatur improbatione rationum, quibus, Arriaga, Oviedus, Tellez, & alii hanc minorem rejiciunt.

VII. Respondet 1^o. P. Tellez ad minorem, solemne illud Axioma non transire cancellos nostrae opinionis, ac proinde in sua opinione non admitendum: 2^o. unitas numerica in ratione numeri indivisibilis, addita unitati numericæ, facit plus quoad numerum, ergo indivisibile additum indivisibili facit etiam majus, quoad locum: 3^o. puncta indivisibilia loco immediate contigua, non se penetrant, quia ad hoc ut se non penetrant, sufficit, quod

quod utrique puncto respondeant in spatio extrinseco diversa puncta, uti revera correspondent; siquidem est unum punctum immediate positum post aliud, atque adeo in diversis locis: quod declarat in puncto terminativo lineatum in centro circumferentia, quod quamvis tangat secundum se totum omnes lineas deductas ad centrum, non est tamen intrinsece in lineis deductis ab ipso puncto centri; alioqui sequeretur quod esset intrinsece in infinitis lineis realiter distinctis, & consequenter quod esset simul naturaliter in pluribus locis, quod repugnat: sed contra

VIII. Respondeo, ad 1^{um} in primis solemne illud axioma debere esse absolute, & in omnium sententia, verum, sic ut non solum cancellos nostre Opinionis transeat, sed & Patris Tellez, ac aliorum ipsius sententia fautorum serinia penetret: sint igitur tria puncta prima spatii continui . . . vel secundum punctum recedit a primo, vel non? si recedat, vel recedit secundum se totum, vel secundum partem? non secundum partem; quia per se est mathematicè indivisibile: neque secundum se totum; quia alioqui non faceret continuum contra suppositum: si non recedat, neque recedet tertium, neque quartum, &c. ac proinde nulla erit extensio continua; sed non est quid aliud dicat; ergo in omnium sententia hoc solemne Axioma, *in indivisibile additum indivisibili non facit majus*, debet esse verum, sic, &c.

IX. Corroboratur solutio ista: sint duo puncta loci indistantia, & trahat Deus lineam indivisibilem per ista puncta; vel linea transibit per utrumque punctum adæquatè, vel per utrumque inadæquatè, sic, ut eorum aliquod sit extralineam illam transversam indivisibilem? si primum, sicut a puncto lineæ transversæ non recedunt, sed sunt in eodem loco penetrativè cum illo, ita nec ab invicem recedunt, sed sunt in eodem loco inter se: non secundum, quia supponuntur esse mathematicè indivisibilia; deinde cum se tangant adæquatè haud minus, quam ubi formæ & ubi materiæ, velim scire, cur potius ab invicem adæquatè recedant, quam ubi formæ & ubi materiæ; unde liquet non posse dari indivisibilia se adæquatè tangentia, & tamen non penetrata; secus fit in inadæquatè se tangentibus; quia semper habent aliquid extra id in quo se tangunt: ex quo ulterius sequitur duo puncta non posse adæquatè a se recedere, & non esse loco discreta, sed loco continua.

X. Responderi fortè posset, hoc sensu secundum punctum recedere secundum se totum a primo, quod sit locus indivisibilis secundum se totum extra primum.

XI. Sed contra, quæro quomodo secundum se totum sit extra primum? quandoquidem, si essent extra invicem immediata, nec plus, nec minus sed eadem correspondentia intrinseca ad invicem, se tangerent. Deinde, cum dico punctum secundum spatii continui non posse recedere a primo, & remanere continuum, contendo non posse esse extra primum, & remanere continuum (& posse non probatur); quod autem extra primum esse non possit, a nobis jam ostensum est: hic enim continuum decipitur adversariorum intellectus, Continuum ex duobus indivisibilibus apprehendens, per modum continui ex divisibilibus: divisibilia enim continua semper sunt extra invicem, quia quodlibet divisibile secundum quodlibet sui, semper ha-

bet partem extra partem; unde quodlibet divisibile secundum omnem partem in ipso assignabilem semper est extra aliud divisibile: è contra verò indivisibilia continua semper sunt intra invicem, saltem negativè; quia cum non habeant partes, non satis intelligitur quomodo intra invicem esse possint positivè, aut se invicem penetrare (attende ad indivisibilia loca, quia alia indivisibilia iterum fallunt adversarios, dum putant illa posse esse extra invicem continua per existentiam in duobus locis indivisibilibus continuis, vel contiguis, quæ jam impugnamus) quia sunt secundum se totum intra se, & secundum nihil sui, habent aliquid extra se: oppositorum enim opposita est ratio.

XII. Respondeo ad 2^{um}, quod adfert, esse disparitatem, in eo, quod plus quoad numerum, minus dicat in suo conceptu formali, quam majus: plus enim solum dicit duo entia, sive continua, sive contigua tantum, sive conjuncta, sive non; majus verò dicit duo entia continua extra invicem, quomodo esse non possunt si sint indivisibilia mathematica, ut ostendimus, licet esse possint extra invicem discontinua, & discontinua facere plus sive numerum.

XIII. Respondeo ad 3^{um} (præterquam quod supponatur falsum videlicet duo puncta indivisibilia posse esse loco immediate contigua, & se non penetrare ut vidimus ante) distinguendo assumptum; ad hoc ut duo puncta, &c. se non penetrent, sufficit quod utrique puncto respondeant in spatio extrinseco diversa puncta intra invicem existentia, uti tantum revera respondent, si indivisibilia, nego assumptum: extra invicem, quomodo revera non respondent, si indivisibilia, concedo assumptum; sed indivisibilia hoc modo non respondent; unum enim punctum indivisibile, si cum altero continuum, non potest esse positum post aliud, ut vult P. Tellez; nec infra, nec supra; nec ad dexteram, nec ad sinistram ut vult P. Oviædus; sed intra aliud esse debet, propter rationem a nobis supra datam: declaratio autem, quam adfert præfatus P. Tellez, nulla est, quia in primis supponit falsum videlicet a puncto centri circumferentia posse deduci lineas puris indivisibilibus constantes, quas terminet: hoc tamen gratis dato, illud erit intrinsece in singulis lineis, & non erit; erit, quia continuum cum illis, continuum verò ex puris punctis indivisibilibus non habet ullam extensionem localem; non erit, quia in summitate illa lineæ recederent ab invicem, ac proinde deberet esse in pluribus locis adæquatè naturaliter, sicut lineæ sunt in summitate, quod naturaliter repugnat.

XIV. Respondet 2^o P. Oviædus, illud Axioma etiam habere vim contra sententiam Aristotelis & nostram, quod ita probat: partes divisibiles se tangunt secundum aliquid divisibile, quod habet prius & posterius; ergo ut se tangant secundum prius & posterius debent se penetrare secundum prius ipsarum; ergo ut se tangunt secundum illud posterius debent se etiam penetrare secundum illius prius & posterius, & sic de aliis; ac proinde debent se totaliter penetrare, ut se tangant; & consequenter, sive indivisibile additum indivisibili, sive divisibile additum divisibili (cum etiam illud tangere debeat) non facit majus.

XV. Respondeo divisibilia sic se tangere, ut

quia
infini-
in ali-
es etiam
tionem
ogi soli
pliciter
tionem,
fallit;
Secun-
geome-
a, quæ
ectione,
infini-
mplici-
mplici-

partes
vel ob
ugnan-
t. Hoc

tiquio-
Grego-
Patri-
magno
conti-
indivi-
in suo
Hurta,

indiv-

pæ ex
ft con-
gis ex-
ex ad-
onitur
additum
n non
raticis:
ne ra-
& alii

a, so-
nostræ
admit-
neri in-
s quo-
divisi-
puncta
se pe-
suffici-
quod

sint tantum indistantia secundum partem divisibilem indivisibiliter sumptam, modo infra explicando; argumentum autem illud supponit falsum, videlicet dari adæquatè prius, prout condistinguitur contra posterius, in quo fit contactus; omne enim prius, utpote divisibile, semper prius & posterius involvit: si autem petas, an, casu quò Deus traheret lineam indivisibilem mathematicè per id præcisè, in quo partes se tangunt, quod ad utramque partem spectat, esset in eodem loco cum linea, necne? Respondeo omnino negandum talem lineam esse possibilem; quia alioqui deberet in loco continuo habere ubi divisibile sibi respondens; ac proinde continuum componi deberet ex partibus & punctis infinitis, quod infra impugnabimus.

xvi. Instare posset, si duo indivisibilia se tangentia dicantur esse intra invicem, se penetrare, &c. duo divisibilia se tangentia secundum id præcisè & indivisibiliter, quo se tangent, non dicentur facere majus, dicentur esse intra invicem, se penetrare, &c. sequela tenet à pari.

xvii. Respondeo negando sequelam, quia apertè supponit falsum, videlicet dari partes determinatas (saltem respectu Dei) secundum quas præcisè & indivisibiliter duo divisibilia se tangent; quod tam falsum est, quàm quòd sint in continuo diviso partes determinatæ (saltem respectu Dei) secundum quas præcisè & indivisibiliter continuum divisum initietur & terminetur: Deus enim tales partes non videt; quia, cum quælibet pars continui, sive initians, sive medians, sive finiens, sit in infinitum divisibilis, ut contendimus; habet partes plures & plures in infinitum divisibiles, ita ut Deus nullam videat, quæ non sit ex essentia sua in infinitum divisibilis: unde sicut Deus non videt unam continui partem, quam ulterius in minorem dividere non possit; quia quælibet (utpote ex essentia sua divisibilis) est ex essentia sua ulterius divisibilis: sic Deus non videt unam partem, quæ in minori aliam tangere non possit; quia quælibet (utpote ex natura sua tangibilis) est ex natura sua ulterius tangibilis; tactus autem de facto fit in minima parte, in qua fieri potest; ac proinde in minori & minori in infinitum, quia alia minima non datur; & consequenter Deus non videt in qua parte determinata fiat, licet omnes partes videat se tangentes & tangibiles; quia fit in parte minori & minori in infinitum.

xviii. Vrgeri posset; contactus ille est determinatus, adeoque in parte determinata, & non in minori & minori in infinitum.

xix. Respondeo contactum illum esse determinatum; non quòd sit in parte determinata adæquatè tacta, sed inadæquatè tacta secundum partem sui minorem & minorem in infinitum: sic proportionaliter etiam quælibet divisio continui est determinata & quilibet finis continui determinatus; non quòd sit in parte adæquatè terminante, sed inadæquatè terminante secundum partem sui minorem & minorem in infinitum.

PROBATIO II.

Ex velocitate & tarditate motus.

xx. **P**robatur 2º. si continuum componatur ex puris indivisibilibus mathematicis, mo-

bile velocissimum & tardissimum æquali moti necessario movebuntur, neutrum tardius aut celerius moveri poterit; sed hoc est contra manifestam experientiam; ergo, &c. Probatur major, quia si moveantur supra lineam quinque punctorum v.g. tardius non poterit primo instanti, minus quàm unum punctum loci acquirere, & velocius non plusquam unum, & sic de aliis instantibus: unde, vel tardius debet interquiescere; vel velocius eodem indivisibili instanti esse in pluribus locis punctualibus adæquatis; vel movendo se plura puncta loci saltare: sed primum est contra suppositum; quia supponitur, & experientià probatur, continuo moveri, licet tardè; & alioqui continuo interquiescere deberet lapis molaris è coelo cadens, quod est ridiculum, cum habeat semper causam motus æque expeditam, & medium idem, & sanè quis crederet tormenti glandem velocissimè per aëra volantem millies amplius interquiescere, quàm moveatur? quod negari non poterit comparatione factà ad motum solis aut primæ spheræ millies & amplius celerius se moventis: deinde nullus motus naturalis esset continuus; quia per Deum semper potest dari celerior: secundum est contra experientiam & communem Philosophorum doctrinam.

xxi. Adde idem esse de tertio, quis enim unquam expertus est nos posse transire de extremo ad extremum naturaliter non existendo in medio.

xxii. Respondent 1º Galenus, Valesius, Ariana, Oviædus, &c. mobile tardius interquiescere, nec sine fundamento (inquit P. Oviædus) quia lapis molaris de coelo cadens non movetur, nisi producat impulsus in aërem; mobile autem motum non movetur eo instanti, quo impulsus recipit, nec mobile movens moveri potest, nisi illud moveatur; unde motus mobilis moventis est tardior, aut velocior pro remissione, aut intensione impulsus, quem in mobile alterum imprimit: sed

xxiii. Contra, non aliter mobile motum impulsus recipit, quàm quia movetur; nam impulsus non agnoscimus distinctum à movente, motione & corpore moto; movens enim per seipsum immediate movet, uti Libro secundo supra Disp. 3º. Resol. 4º. & infra lib. 8. Disp. 6. Dub. 1º. diximus; ac proinde, cum dicit P. Oviædus mobile non moveri eo instanti, quo impulsus recipit (præterquam quòd id videatur gratis dictum) sensus est, mobile non movetur eo instanti, quo movetur, in quo est aliqua in terminis contradictio: deinde, hoc dato, experientia contrarium docet; quia experimur omnes pedem nostrum moveri eo instanti, quo impulsus in illum imprimimus, si per impulsus moveatur; & reverà non est, cur non moveretur, cum eo instanti, quo est causa, possit esse effectus.

xxiv. Respondebis 2º ex eodem P. Oviædo, hoc argumentum, etiam contra Aristotelem, & nos, militare; quod sic probat: moveatur mobile tardissimum & velocissimum per idem spatium: illud decurrat velocissimum horæ quadrante; tardissimum mense integro: tardissimum non poterit primà parte temporis, minus quàm unam partem loci acquirere, & velocissimum non plus, quàm unam, & sic de aliis partibus temporis; unde, vel tardissimum debet interquiescere, vel velocissimum eadem parte temporis esse in pluribus locis divisibilibus adæquatis, vel movendo se plura divisibilia loci

loci saltare; sed primum est contra experientiam. Vide cætera ut supra statim num. 19.

xxv. Contra admissio casu, Respondeo tardissimum primâ parte temporis (puta divisibili) acquiratur partem loci minorem illâ, quam eadem parte temporis acquireret velocissimum; ac proinde eidem parti temporis corresponduras pauciores partes motus mobilis tardissimi, plures motus mobilis velocissimi: quomodo autem eadem parte temporis possit mobile velocissimum esse in pluribus locis divisibilibus adæquatis, quam sit tardissimum; non possit autem esse eodem indivisibili instanti nisi in uno indivisibili loci, sicut est tardissimum: ratio est, quia sicut in pluribus indivisibilibus temporis potest mobile esse in pluribus locis adæquatis indivisibilibus; ita in una parte temporis divisibili potest esse in pluribus locis adæquatis divisibilibus, eisque majoribus, aut minoribus, pro tarditate, aut velocitate ipsius motus; nam, licet eidem indivisibili puncto temporis non possit respondere, modò minor, modò major locus, pro tarditate, aut velocitate motus mobilis; ne alioqui simul & eodem instanti sit in duobus locis adæquatis; eidem tamen divisibili parti temporis potest respondere, modò minor, modò major locus, pro tarditate, aut velocitate motus mobilis; quia eadem parte divisibili temporis potest mobile esse in duobus locis adæquatis; eò quòd videlicet pars divisibilis temporis contineat partes temporis proportionales infinitas, quibus mobile potest esse in pluribus locis adæquatis, ut patet.

xxvi. Adde, quòd si admitterent mobile moveri in parte proportionali temporis, in quadrante non esse pauciores partes, temporis proportionales, quam in mense, imò quam in anno; ac proinde velocissimum posse in quadrante percurrere idem spatium, quòd tardissimum percurrit in mense.


PROBATIO III.

Ab Absurdis.

xxvii. Probatur 3^o. ex opposita sententia plurima sequuntur absurda, ad sensum & oculum falsissima.

xxviii. 1^o. Dari lineas, quæ in duas medietates æquales dividi non possint, videlicet illas, quæ constabunt punctis numero imparibus ut 5. 7. 9. &c. si enim dividantur, semper habebunt alteram medietatem longiorem, alteram brevioram, ut patet.

xxix. 2^o. Lineam immediatè supra basim pyramidis sex punctis altæ, & tribus latæ, fore majorem & minorem lineâ basim; majorem, quia, ut constat ex adjecta figura, erit sex punctorum; lineam verò basim trium tantum; minorem, quia debet excedi per utrumque latus lineæ basim; ac proinde non posset esse nisi unius puncti, quod iterum est ad sensum & oculum falsissimum, falsiusque apparebit, quòd pyramidem altiorem feceris.




xxx. 3^o. Quòd diameter, seu linea secans globum, sit æqualis semicirculo; quia habebit tot puncta ac semicirculus; nam si à quolibet puncto circumferentiæ semicirculi trahantur lineæ rectæ & perpendiculares ad diametrum, nulla trahi poterit ad idem punctum; alioqui enim non esset recta & perpendicularis.



xxxi. 4^o. Quòd in rota circulus immediatus axi, foret æqualis circulo supremo; nam à singulis punctis supremis circuli ad axem duci poterunt lineæ rectæ & perpendiculares, per circulum immediatum axi, & nullæ lineæ, transire poterunt per idem punctum hujus minoris, ut statim dictum est.



xxxii. 5^o. Lineam diametralem, in quadrato, angulis supra, everso, ductam ab angulo ad angulum fore ferè duplo majorem, & æqualem lineæ laterali; duplo majorem, quia si lineæ costarum cõstent 10 punctis, duci poterunt 10 lineæ incipiendo à duobus punctis costarum vicini angulo per lineam diametralem: æqualem verò, si angulis quadri collateralibus à costa recta ad costam aliam rectam ducantur rectæ lineæ, quia illæ pertransibunt singula puncta lineæ diametralis; alioqui enim punctum quod non pertransiretur esset medium inter duo puncta immediata costarum, quod est impossibile, cum immediata sint, & lineæ immediata.



xxxiii. Alia argumenta, tam geometrica, quam Physica, vide in labyrintho D. Fromondi, maximè cap. 8^o. 13^o. 15^o. 16^o. 19. 21. 22. 23^o. 24^o. & 25. & ex præmissis solum collige, vel rotam non posse moveri, vel radios ipsius, etiam ferreos, à quocumque movente, etiam debilissimo, debere incurvari, vel frangi & discontinuari; nam circulus axis rotæ, tam celeriter & tot puncta indivisibilia spatii conficiet, ac circulus supremus rotæ, vel tardius & pauciora? si primum, circulus axis minor habebit tot puncta & erit tam magnus, ac circulus rotæ major, quod, ut contra omnem sensum & experientiam, supra rejectum est: si secundum, ergo radii rotæ circa axem, circa quam tardius movebuntur interquiescent, & circa circulum majorem, circa quem celerius moventur, ad novum punctum loci promovebuntur; ac proinde radii rotæ circa axem, etiam ferrei & ex quacumque materia fortissimi incurvabuntur, vel potius frangentur aut discontinuabuntur.

xxxiv. Respondet P. Ovidius hîc num. 4^o. radios rotæ ductos à circulo supremo ad circulum axis nullo modo disumpi, sed tantum levissimè inflecti, etiam si ferrei sint; neque (inquit) laicis impugnationibus hæc inflexio in radio ferreo, & quocumque alio, quantumvis duro, impugnanda est; sæpissimè enim videmus durissima ferra funibus intorta flecti, & quotidie videmus chalybe attemperatum enses à cuspidè in capulum infinuari; in quibus omnibus motibus partes quædam mo-

ventur immotis aliis, & nulla continui accedit divisio. sed

xxxv. Contra 1^o. si inflecterentur radii rotæ, cessante motu rotæ, appareret eorum inflexio, sicut apparet, si facta fuerit extra motum rotæ, nisi forte fingas radios illos in motu rotæ toties rectificari, quoties incurvantur.

xxxvi. Contra 2^o. quomodo fit, quod puer levissimo ictu movens rotam baculo per medium axis in aëre sustentatam inflectat radios ferreos, quos sine aliis instrumentis fortissimus homo extra motum rotalem nullâ vi inflectere potest? hæc reverà videntur ad omnem sensum & oculum falsissima; neque exempla, quæ adfert, faciunt ad rem; quia nec puer illa funibus intorta inflectere potest, uti possent tum radios illos in levissimo motu, tum enim illum chalybe attemperatum, ut experientia docet.

xxxvii. Unde non video quâ ratione doctissimi Mathematici & recentiores Philosophi ingenio acres à P. Ovidio in hac re consulti (ut scribit) omnes uno ore ipsi testati fuerint totam difficultatem nostri argumenti, doctrinâ ab ipso traditâ exhaustiri, nullique principio Philosophico, aut Mathematico, non esse consonam. Sed

xxxviii. Adde cum P. Ovidio, vellem, ut aliqua ex his argumentis sibi solvenda suscepissent Aristotelici, siquidem omnia quæ omnes premunt, quod si perpenderent, non Zenonistas adorirentur telis, quæ in ipsos absque ulla operatione quisque retorquet: ita ille hic.

xxxix. Fateor hæc argumenta à nobis clarè, & quasi ad oculum, solvi non posse; quia ab infinito pendent, quod in se obscurissimum est, & ad oculum non patet; solvi tamen possunt eâ claritate, quâ omnes Philosophi de natura infiniti discurrunt, torumque evitando, quod in sensu & omnium oculis est falsissimum, à quibus procul absunt Zenonistæ, & Ovidius post illos: itaque ad hoc ultimum argumentum,

xl. Respondeo rotam posse moveri, nec radios ipsius, etiam vimineos, discontinuari aut incurvari; non imprimis discontinuari, quia licet in continuo ex puris indivisibilibus unum ex immediatis punctis non possit moveri immoto alio remanente continuo, eò quod in punctis continuis non datur correspondentia extrinseca collateralis supra vel infra, ante vel post, quam hic malè supponere videtur P. Ovidius, ut supra diximus contra eundem, & Patrem Tellez; potest tamen in continuo ex puris divisibilibus, una ex immediatis partibus moveri immotâ aliâ remanente continuâ; quia in partibus divisibilibus continuis datur correspondentia extrinseca collateralis, supra vel infra, ante vel post, immotâ aliâ remanente continuâ: ulterius ostendo præfatos rotæ radios in motu non incurvari; circulus enim minor axis, quidem tardius & pauciores partes spatii conficit, quàm circulus supremus rotæ, non ideo tamen radii rotæ circa axem, circa quem tardius movebuntur, interquiescent, sed in simili parte temporis, in qua movetur circulus major, pauciores partes spatii divisibilis conficiunt: quomodo autem fieri possit, quod eadem parte temporis mobile velocius plures partes spatii occupet, quàm tardius, etiam supra ostensum est. Sed

xli. Difficultas manet, quomodo partes superiores continui recti possint eadem parte tempo-

ris esse in pluribus locis adæquatis, quàm inferiores sine incurvatione, uti fieri dicimus in radiis motæ rotæ: ut tamen hanc difficultatem (cui sicut & aliis supra nemo potest satisfacere, inquit P. Ponticus, & propterea addit, se nescire, quantum ad rationem attinet, utra sententia, Aristotelis, an Zenonis, sit verior; cui ingenia inquit P. Ovidius, succubuerem magna; quam Arriaga ait, se nunquam solutam vidisse, neque illam se solvere præsumere) quasi stupidam saltem & torpentem faciam.

xlii. Respondeo partes superiores continui recti in motu quidem esse in pluribus locis adæquatis, quàm sint inferiores, quia moventur ad motum circuli majoris, & sunt magis recedentes à puncto rotæ centrali, sive rotæ centro; inferiores verò ad motum circuli minoris, & sunt minus recedentes à puncto rotæ centrali, sive rotæ centro; non tamen ideo continuum rectum inflecti, aut incurvari; quia, tam partes superiores cum superioribus, quàm inferiores cum inferioribus, semper in motu & quiete eandem distantiam & proximitatem ad invicem servant, uti ad sensum & oculum manifestissimum est; & eâ proportione, quâ magis vel minus à puncto centrali rotæ recedunt, & majorem vel minorem à se invicem distantiam habent, celerius vel tardius moventur, prout supra à n. 30. monstratum est; sed in quiete magis superiores, quàm inferiores à puncto centrali rotæ recedunt, & majorem cum superioribus distantiam habent, quàm inferiores cum inferioribus; ergo in motu superiores possunt eadem parte temporis esse in pluribus locis adæquatis, quàm sint inferiores, & tamen nulla pars inflecti aut incurvari, magis quàm in quiete propter servatam illam proportionem; ut autem ad penultimum argumentum, & cætera supra contra contrariam sententiam allata respondeam.

xliii. Nota in linea non recta non esse unquam plures partes perpendiculari commensurabiles cum recta, aut minori non recta, quàm supponantur absolute esse in illa recta, aut non recta minori, cum qua commensuratur; quia dispositio partium, non rectè, talis aut talis, partium aut multum angulis erectis supra, facit, quod, ut commensurationi perpendiculari subiacet, sive prout perpendiculari commensuratur, eodem modo se habeat, ac si partes ipsius non occuparent plura divisibilia adæquate, quàm absolute occupent partes lineæ rectæ, aut non rectæ minoris, cui commensuratur: quod autem illa dispositio id faciat, patebit clarè, si perpendicularum cadat à linea supra curvam æquali lineæ magnæ infra curvam, aut si ex duabus lineis rectis decem partium aliquotarum una supra alterius medietatem in semicirculum erigatur: ex quibus patet longè aliud esse triangulum in quadrato habere absolute plures partes quàm habeat linea diametralis; semicirculum aut pyramidem, quàm basis; circulum excentricum quàm concentricum; aliud habere plures partes commensurabiles perpendiculari; quia commensuratio per perpendicularum non respicit partes ut absolute tot vel tot, sed ut ita vel ita dispositas; dispositio enim sæpius facit (ut jam ostendi) quod curvum habens absolute viginti v. g. partes aliquotas, non habeat nisi decem perpendiculari cum alia recta, aut curva, commensurabiles; quam diversam dispositionem (videlicet angulis parum vel multum erectis supra, ita ut lineæ,

lineæ, quæ à linea superiori ad inferiorem trahuntur, plures simul partes, pertranseant quia non possunt habere puncta mathematica, fit ut illa argumenta vim habeant contra Zenonistas, non verò contra nos.

XLIV. Adde probationem secundam non habere ullam difficultatem in nostra sententia; quia, hoc dato, quòd fiat pyramis alta sex partibus aliquotis æqualibus tribus partibus aliquotis basis, duæ primæ partes sub cuspide non recedunt ab invicem longitudine partis aliquotæ sibi æqualis, prout in sententia Zenonis debent duo prima puncta sub cuspide, uno puncto sibi æquali (ut ita dicam) recedere; sed parte medietati suæ æquali; duo sequentia unâ parte sibi æquali; alia duo sequentia parte cum media, & sic proportionaliter usque ad basim: unde linea basis erit ad medietatem alicujus ex partibus aliquotis, quibus componitur major lineâ intermediâ sibi immediatâ: quòd verò in nostra sententia qualibet lineâ possit dividi in duas partes æquales, patet; quia, cum qualibet pars continui sit in partes infinitas divisibilis, medium lineæ semper est divisibile in duas partes æquales; non verò medium punctum mathematicum in sententia Zenonis. Ex his

XLV. Collige, continuum non posse magis componi ex punctis indivisibilibus mathematicis infinitis, quàm ex finitis, quia si finita indivisibilia addita finitis non faciant majus, neque infinita addita infinitis faciant majus; deinde aliqui quodlibet continuum contra omnem sensum & oculum deberet esse infinitè extensum, quia constaret partibus non communicantibus æqualibus uni certæ infinitis, quod necessariò est infinitè extensum.

D V B I V M III.

An Continuum componatur ex partibus indivisibilibus virtualiter extensis.

ANte Resolutionem
 XLVI. Suppono, indivisibilia virtualiter extensa (quæ à nonnullis vocantur etiam indivisibilia Physica, ab aliis minima Physica) esse puncta realiter indivisibilia; virtuales tamen partes habentia; ita ut modò majorem, modò minorem locum occupent, pro raritate, aut densitate sua. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

XLVII. **D**Ico contra Democritum & Luspium, quos videtur secutus Gregorius à Valentia, continuum non componitur ex punctis indivisibilibus virtualiter extensis.

XLVIII. Probatur, quia illa, corporea essent, uti continuum, quod constans; & non essent; quia, non nisi essent extensa, uti res spirituales, tota in toto & tota in qualibet parte loci, quod implicat, ergo, &c.

XLIX. Confirmatur, quia per illa puncta virtualiter extensa non vitantur, sed potius augentur, difficultates continui, quæ in sententia, tum Zenonis, tum Aristotelis reperiuntur, ad quas tamè vitandas à suis authoribus sunt confecta. Prob. 2^a.

teced. pro prima parte, quod difficultates quæ in sententia Zenonis reperiuntur non vitentur: quia etiam lineæ constans punctis istis imparibus non poterit in duas medietates æquales dividi, eò quòd ab alterutra parte se tenere debeat punctum intermedium indivisibile; secus in nostra sententia, in qua pars intermedia est divisibilis: deinde, vel unum punctum tale constabit partibus virtualiter extensis infinitis, vel punctis tantum virtualiter infinitis? si prius (præterquam quòd, vel pars illius virtualis A sit sic correspondura punctuali loco A, ut illi correspondeat pars illius virtualis B, vel non? si primum, pars A realiter distinguetur à parte B, quia illa realiter distinguuntur quibus convenit esse & non esse in loco A, ut omnes fatentur; si secundum, & utraque utriusque loco correspondeat, frustra est illa extensio virtualis, ut consideranti patebit, & planè dicendum erit, prout de Deo dicendum puto, illud esse in loco divisibili, modo quodam à nobis incomprehensibili, quo vel unico titulo puncta illa expingi deberent) manifestè incurruntur omnes difficultates sententiæ Aristotelis; non enim poterit motus incipere; continuum quodlibet constabit infinitis partibus virtualibus puncto majoribus, &c. si posterius, omnes difficultates sententiæ Zenonis non evacuantur; quia, cum sint de eo quod realiter fit, & realiter divisibilia non sint; planè sunt impertinentia & ad eas evacuandas, præsertim quoad divisionem lineæ in duas partes æquales; quoad motum velociorem & tardiorem; quoad pyramidem, quadrum, &c. de quibus supra impertinentia, ergo, &c.

L. Adde quòd illa minima poterunt redigi ad punctum mathematicum, quo casu continuum componetur ex illis, non secus ac ex punctis indivisibilibus mathematicis, ac proinde per illa non vitantur difficultates sententiæ Zenonis.

D V B I V M IV.

An Continuum componatur ex partibus in infinitum divisibilibus.

R E S O L U T I O I.

LI. **D**Ico continuum componitur ex partibus in infinitum divisibilibus. ita Aristoteles 6^o. Physic. cap. 1^o. & 2^o, quem omnes ferè Peripathetici sequuntur, & generatim Scotistæ & Thomistæ, eximius Doctor Fromondus in suo labyrintho cap. 25^o, Suarez, Hurtadus, Conimbricenses, &c. unde Tellez fatetur hanc sententiam esse communioram.

LII. Probatur, continuum non componitur ex puris indivisibilibus finitis aut infinitis; neque ex partibus finitè tantum divisibilibus, ergo componitur ex divisibilibus in infinitum: consequentia patet, quia aliæ partes, ex quibus componatur, non supersunt: Probatur antecedens pro prima & secunda parte ex dictis de divisione lineæ in partes æquales; de pyramide; de quadro; de velocitate aquarum, & tarditate testudinis; de motu rotæ, &c. item probatur antecedens pro tertia parte: quia si omnes continui partes possent dividi usque ad indivisibilia, ejus nihil remaneret, ut patet, nisi indivisibilia, ac proinde continuum compone-

poneretur ex solis indivisibilibus, ergo, &c.
Hinc

LIII. Colliges nihil esse tam minutum, in continuo, quin à Deo possit in infinitum ulterius dividi, ac proinde aliam unius muscæ posse secundum profunditatem à Deo in tot partes dividi, ut centum mundis, huic æqualibus, tegendis sufficiant, ut parebit consideranti naturam continui, & Dei omnipotentiam; idem dic de folio chartæ aut acie cultri, nec id mirabilius, quàm omnia mirabilia, quæ contra omnem sensum & oculum admittere debent Zenonistæ.

S O L V V N T V R

Varia Argumenta contra Zenonem facta, & ab Adversariis in sententiam nostram retorta.

LIV. Primum Argumentum, quod indivisibile additum indivisibili non faciat majus, supra Dub. 2^o est in nostram sententiam retortum & solutum; insuper tamen adverte Adversarios continuè decipi, supponentes, dari posse punctum aliquod mathematicè indivisibile, quod additum alteri faciat majus, illud non penetret, &c. quod ibi sufficienter improbatum est.

LV. Secundum argumentum de eo, quod Euclides lib. 6^o. elementorum doceat, quamlibet lineam posse dividi in tot partes æquales, in quot potest alia dividi. & lib. 8^o proposit. 10^o. ubi docet quamlibet lineam posse dividi in duas partes æquales. quod hoc modo in nostram sententiam retorquet P. Tellez Physic. Disput. 35. sect. 2^a. & certè, ut verum fatear, nescio quo pacto sibi, vel nobis persuadere intendant hi Philosophi, quod una linea longitudinis unius digiti dividi possit in tot partes, in quot dividi potest linea, quæ extendatur ab Alisippone usque ad ultimos orbis incolas; & consequenter, quod tot partes habeat unum granum milii, quot partes habet Orbis universus: certè ego potius vellem semel negare hanc opinionem, quàm toties admittere sequelam adeo absouam & paradoxam, &c. Sed

LVI. Contra, absouum quidem & paradoxum est admittere tot partes uni certæ æquales in linea digitali, quot admittuntur in linea ab Oriente in Occidentem longa; sed nihil tale sequitur, ex eo quod tot solum proportionales, & minores, ac minores in infinitum, in una, quot in alia, admittantur; imò insuper ista Euclidis principia salvantur, ubi ab adversariis, negatione contra experientiam destruantur.

LVII. Tertium argumentum de trianguli lineis collateralibus sex punctorum supra basim trium punctorum, hoc modò in nostram sententiam retorquet, P. Tellez loco citato: omnes lineæ habent infinitas partes, ergo linea basis non habet plures partes, quàm linea proximior angulo. Sed

LVIII. Contra, licet quælibet linea constet partibus proportionalibus infinitis; non constat tamen partibus æqualibus uni certæ infinitis; unde in nostra sententia linea basis simpliciter est major lineam proximiori angulo; unde vitamus absurdum quod contra Zenonem objicimus; nec illud adversarii, & nominatim P. Tellez, evitare possunt, nisi paradoxa priora prioribus admit-

tant, videlicet, supra basim trium punctorum se se non penetrantium, non posse pyramidem trium punctis, aut pluribus, altam erigi, sed requiri plura puncta; vel enim illa plura essent finita? & est eadem tunc difficultas: vel infinita? & verè si centum millia non sufficiant ad creandam tantillam pyramidem, infinita posse sufficere, non videntur.

LIX. Quartum argumentum de linea secante globum, hoc modo retorquent in nostram sententiam Adversarii: semicirculus plures habet partes, quàm linea secans circulum, si enim tot præcisè haberet non esset major, & consequenter unum granum milii tot partes haberet, quot corolum empyreum; quod si concedant Adversarii (inquit P. Tellez) non est quod contra illos argumentemur. Sed

LX. Contra, Respondeo, ut ante, semicirculum plures habere partes æquales uni certæ, quàm linea secans circulum; non verò plures proportionales: unde, si ve à qualibet parte æquali uni certæ semicirculi, si ve à qualibet proportionali ejusdem, cum major sit, quàm linea secantis, trahatur linea ad secantem, numquam reperies tot partes in linea secante, ac in semicirculo; sed in supremitate linearum magnas inter ipsas vacuitates, in infinitate verò magnas constipationes: in sententia autem Zenonis, cum sit recessus à puncto in punctum, non nisi æquales supra & infra distantæ & proximitates reperiri possunt.

LXI. Quintum de motu tardiori & velociori: hoc modo in sententiam Aristotelis retorquet P. Tellez; si in eadem parte temporis, potest dari adæquatio cum parte spatii majoris cur non poterit unum instans ratione velocitatis correspondere duobus punctis spatii. Sed


LXII. Contra; si pars temporis adæquetur parti spatii, semper pars parti proportionali spatii adæquatur, sic, ut eodem tempore idem corpus non sit in duobus locis adæquatis; si verò instans adæquetur parti spatii, idem corpus eodem instanti est in duobus locis adæquatis, quod putamus naturaliter esse impossibile.

S O L V V N T V R

Aliæ Objectiones.

LXIII. Objicies 1^o. si continuum est divisibile in infinitum & constat partibus in infinitum divisibilibus, constat partibus infinitis aliquotis si ve æqualibus uni certæ: sed hoc est falsum, ergo, &c. minor patet, quia alioqui esset infinitè extensum quoad magnitudinem, non secus ac in sententia Zenonis continuum constans infinitis punctis mathematicis; Probatur major, quia est divisibile in infinitas partes non communicantes, id est, nihil invicem includentes. Pro solutione hujus argumenti,

LXIV. Nota partium continui alias esse communicantes, alias non communicantes; alias communicantes proportionales, alias non communicantes proportionales; aliquas communicantes æquales, aliquas non communicantes æquales: pro harum autem definitionibus propone tibi lineam duorum pedum sequentem, cujus primum semperdem vocabis A, secundum B, tertium C, quartum D, partes



D. partes communicantes sunt, quæ non adæquatè se invicem excludunt, sed inadæquatè se invicem includunt & participant, ut pes A usque ad C, respectu B usque ad D. Non communicantes è contra, quæ adæquatè se invicem excludunt, ut pes A. B, respectu pedis C. D. Communicantes verò proportionales, quæ certâ proportionem mediæ ad mediam partem, v. g. semper in minorem & minorem, decrescunt, ut media pars pedis A usque ad C. respectu mediæ partis B usque ad D, & illius mediæ pars, & sic in infinitum. Non communicantes autem proportionales, ut mediæ pars semipedis B, respectu semipedis A; & mediæ pars hujus mediæ partis respectu alterius oppositæ sibi mediæ partis, & sic in infinitum: Communicantes denique æquales sunt, ut pes E usque ad F, respectu pedis A usque ad C; & C usque ad finem; & non communicantes æquales ut pes C D, respectu pedis A B: Adde non communicantes ordinariè vocari à Philosophis aliquotas, quia aliquoties geminatæ coæquantur toti, Hoc notato ad argumentum,

LXV. Respondeo negando majorem pro secunda parte, ad ejus probationem distinguo majorem continuum est divisibile in infinitas partes non communicantes æquales uni certæ, nego majorem, in infinitas communicantes, vel non communicantes inæquales, concedo majorem; sed quia hæc semper magis & magis tendunt ad indivisibile mathematicum, quod additum alteri non facit majus, ideo, nec illæ faciunt majus & majus, &c. seu infinitum in magnitudine, sed semper minus & minus in infinitum: unde in quolibet continuo, admitto quidem infinitas partes non communicantes inæquales & proportionales, quæ quia infinities decrescunt in magnitudine, non possunt facere majus, quàm sit ipsum totum, ex quo sumuntur; non verò infinitas æquales non communicantes & aliquotas, quæ tantum faciunt infinitè extensum, sive infinitè magnum, quia infinities crescunt in magnitudine.

LXVI. Instabis; partes proportionales non communicantes sunt infinitæ, & pars quælibet proportionalis est major puncto indivisibili; sed si ex punctis indivisibilibus infinitis exurgeret magnitudo, ea foret infinita; ergo multò magis ex partibus proportionalibus exurgens, erit infinita, sive infinitè magna.

LXVII. Objicies 2º, si continuum constaret partibus in infinitum divisibilibus, sequeretur majorem & minorem quantitatem esse æqualem; sed hoc est absurdum; ergo, &c. minor patet; Probatur major, quia tam una, quàm altera, posset in anteriores & posteriores partes in infinitum dividi; ergo, &c.

LXVIII. Respondeo negando sequelam; ad ejus

probationem distinguo, tam una, quàm altera posset in anteriores, &c. æquales non communicantes dividi, nego; major in majores, minor in minores, concedo.

LXIX. Objicies 3º, si continuum sit semper divisibile non poterit inchoari motus, nec spatium vel unius pedis pertransiri: quod sic ostenditur, priusquam perveniatur ad spatium uno digito extensum, infinitæ illius partes fuerint pertranscundæ, & aliæ, atque aliæ semper priores; non potest autem infinitum pertransiri; ergo, &c.

LXX. Respondeo negando utramque sequelam, ad ejus manifestationem distinguo, priusquam perveniatur ad spatium uno digito extensum, infinitæ illius partes proportionales & inæquales uni certæ fuerint pertranscundæ, & aliæ, atque aliæ, semper priores tales, concedo; sed tale infinitum, licet numerando pertransiri non possit, potest tamen pertransiri progrediendo; quia in qualibet parte temporis, cum sit divisibilis, potest mobile esse in pluribus locis adæquatis: ac proinde in spatio unius digiti, aut etiam majori, pro celeritate sui motus: infinitæ illius partes aliquotæ & æquales uni certæ fuerint pertranscundæ, & aliæ, atque aliæ semper priores tales, nego; illud autem solum, quia infinitè simpliciter extensum, progrediendo pertransiri non potest. Hinc

LXXI. Colliges, quomodo contra Achillem Zenonis mobile velocissimum possit assequi tardissimum intra eandem horam, licet tardissimum præcesserit; non enim progressio fit numerando partes proportionales spatii, ut videtur supponere; sed pertranscundo eadem parte aliquotâ temporis partem aliquotam spatii, quæ, quia major est pro majori celeritate motus, hinc est, quòd mobile velocissimum facillè assequatur tardissimum, licet præcesserit: pro majori tamen hujus intelligentia advertere debes, sive à testudine mobili tardissimo, sive ab Achille mobili velocissimo, in actu exercito transiri omnes partes proportionales spatii collectivè, prout faciunt partem spatii extensam aliquotam, quæ comparativè ad eandem partem temporis aliquotam sit major, vel minor, pro celeritate motus: non verò distributivè, prout faciunt multitudinem partium proportionalium; quia sic contra experientiam numquam veniretur ad finem: unde motus non est ex ratione sua numerativus partium proportionalium, sed est commensurativus extensionis aliquotæ ex proportionalibus conflata; quod ut facilius intelligas, attende, quod si eadem qualitas esset realiter color & sonus, & in ipsam solus noster auditus tenderet, & non visus; in actu exercito attingeretur ut sonus, non verò ut color; sic similiter, quia eadem partes sunt numerus partium proportionalium & extensio aliquota, & in ipsas solus tendit motus, & non intellectus numerans; ideo in actu exercito attinguntur ut extensio aliquota; non verò ut numerus partium proportionalium.

LXXII. Objicies 4º, globus perfectè sphericus tangit perfectè planum in puncto, aut indivisibili; ergo si moveatur, vel circumrotetur per totum planum, non nisi in indivisibili tanget

get planum; ergo corpus planum ultimâ con-
stat ex solis indivisibilibus: Probatur antecedens,
quia alioqui illud tangeret in parte divisibili &
extensa, cui similis pars globi responderet, quod
est falsum, cum globus supponatur esse perfectè
sphæricus, ergo, &c.

LXXIV. Respondeo negando antecedens; ad
ejus probationem. Respondeo nullum globum
sic esse perfectè sphæricum, ut circumferentia
ejus terminetur punctis continuis; sed tantum sic,
ut terminetur partibus minoribus & minoribus in
infinitum proportionaliter, cui similes partes in
plano respondeant: unde patet contra P. Tel-
lez hîc Disput. 35. sectio. 1a *globum ipsum non
continere tormentarium vulnere inevitabili, ut loquitur*
: neque necessarium esse pro argumenti i-
stius solutione contra omnem experientiam ad-
struere, cum PP. nostris Complutensibus, saltus
globi imperceptibiles de puncto in punctum, ultra
partes.

LXXV. Instabis ex P. Comptono Physicæ Disp.
43. sect. 2a. globus perfectè sphæricus merè gra-
tis solum ad vitandam vim argumenti negatur, er-
go, &c.

LXXVI. Respondeo negando assumptum; ra-
tio enim globum perfectè sphæricum negandi,
est; illa ob quam Dubio sexto, negabimus pun-
cta indivisibilia continuantia aut terminantia con-
tinuum.

D V B I V M V.

*An in continuo sint partes actu inter se
distinctæ.*

LXXVII. **S**ententia negans tribuitur Averroæ,
Divo Thomæ, Durando, Capreo-
lo, Valeſio, Fonseca, Camerario, Fasolo, Tan-
nero, & Italis jam communis: dicunt enim par-
tes in continuo, nec esse finitas, nec infinitas ac-
tu; sed nullas actu; ut difficultates sententiæ
Aristotelicæ de partibus in infinitum divisibili-
bus eludant; unde consequenter afferunt partes
actu fieri dumtaxat vel per divisionem conti-
nui, vel per partium designationem, aut heteroge-
neitatem, aut diversam qualificationem: contra
quos sit

R E S O L U T I O.

LXXVIII. **D**ico, in continuo sunt partes actu
inter se distinctæ ante omnem
continui divisionem, partium designationem, hæ-
terogeneitatem, aut diversam qualificationem, ita
ut faciant multitudinem. ita subtilissimi PP. Gre-
gorius Ariminensis, in primum distinct. 24. quæst.
1. art. 2o, Suarez, Conimbricenses, nostri Com-
plutenses, Rubius, Murcia, &c.

LXXIX. Probatur 1o, unum esse actu distinctum
ab alio, est unum non esse actu aliud; sed par-
tium in continuo ante omnem continui divisio-
nem, &c. una non est actu alia, ergo, &c. major
patet ex fusè dictis in Logica de distinctioe: Pro-
batur minor, quia alioqui una esset eadem actu &
realiter cum alia, ac proinde nullâ potentiâ posset
ab alia separari; quia idem à seipso separari non
potest, ergo, &c.

LXXX. Probatur 2o, partes continui aliquando

actu realiter separantur; ergo ante omnem sepa-
rationem sunt actu realiter distinctæ: antecedens
constat manifestâ experientia; Probatur conse-
quentia, quia realis separatio præsupponit aliquam
distinctionem; non virtuales, aut rationis tantum,
quia, quæ virtualiter aut ratione tantum di-
stinguuntur, sunt realiter inseparabilia, ut omnes
fateri debent; ergo actuales; ac proinde ante
omnem separationem partes continui sunt, actu
distinctæ.

LXXXI. Probant 3o alii; non potest eadem en-
titas esse naturaliter in diversis locis; affici con-
trariis, seipsam causare, &c. sed si omnes par-
tes continui ante divisionem essent una entitas,
id fieret, tum in aëre, qui hîc & Romæ esset idem
continuum; hîc calidus, Romæ frigidus; tum
in igne, qui continuè per idem lignum serpe-
ret; & novos ignes sibi per aggregationem con-
tinuaret. Sed contra; miror ab illis non adver-
ti diversa loca contraria, esse causam, esse-
ctum, &c. importare aliquam partium designa-
tionem, ante quam solum negant adferant esse
partes actu in continuo: Adde multas probationes
P. Poncii, & aliorum eadem inadvertentiâ labo-
rare. Quare aliter

LXXXII. Probatur 3o, quia alioqui partes per
divisionem aut designationem crearentur; si-
quidem antea non fuissent, & essent per divisio-
nem aut designationem, non tamquam per edu-
ctionem, ergo tamquam per creationem.

LXXXIII. Nec dicas, nos docuisse supra esse
partem, esse dominationem extrinsecam à con-
ceptu; nam licet id verum sit, esse tamen distin-
ctam partem non est determinatio extrinseca; sed
negatio in entitate partis fundata: unde si ante om-
nem denominationem extrinsecam à designatione
extrinseca, pars non sit à cæteris distincta, ante
illam non erit secundum entitatem; ac per
consequens ipsa debeat formam illam creare, ut
dictum est.

LXXXIV. Probatur 4o, partes continui successivi
distinguuntur actu ante omnem divisionem, &c.
ergo & permanentis; consequentia tenet à pari:
Probatur antecedens, quia dum existit una, v. g.
præsens, non existit alia, scilicet præteritum & fu-
turum.

LXXXV. Confirmatur 1o ex Aristotele libro 5.
Metaph. cap. 12o. *continuum est divisibile in ea, quæ
ipsi insunt*, ita etiam Divus Thomas Metaphor.
lect. 15a, id ipsumque videtur definitum in Tri-
dentin. sess. 13a, cap. 3o. ubi dicitur, *totus enim &
integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius
speciei parte: totus item sub vini specie & sub ejus
parvibus existit*; atqui est divisibile in partes reali-
ter actu distinctas, ergo ipsi insunt ante omnem
divisionem, &c. sicut ipsi insunt secundum di-
visionem multa tota actu, multa hoc aliquid, &c.
ante divisionem, in quæ est divisibile, licet ei non
insint secundum separationem localem.

LXXXVI. Confirmatur 2o, si partes ante divi-
sionem sint eadem inter se; vel sunt eadem per
aliquid indistinctum, vel per aliquid distin-
ctum: non prius; quia, cum nunquam distin-
guantur à seipsis realiter actu, semper essent eæ-
dem realiter actu, etiam post divisionem:
non etiam posterius, quia implicat unum identi-
ficari alteri per aliquid à se distinctum, sicut
implicat

implicat unum identificari alteri realiter à se distincto, ergo, &c.

LXXXVII. Objicies 1^o. multa loca Aristotelis, quibus videtur insinuare partes continui non esse actu distinctas ante divisionem, &c. sed potentia tantum. Primus, 3^o. Physic. textu. 56^o. ubi ex eo, quod continuum sit divisibile in infinitum, docet non esse actu infinitum, sed sufficere si sit infinitum potentia, ergo solum vult partes esse potentia in continuo, non verò actu.

LXXXVIII. Secundus, 8. Physic. textu 68. ubi sic habet, in eo, quod continuum est, sunt infinita dimidia proportionalia, vel dimidia partes infinita, & numerabiles, non reipsa, sed potestate: sic etiam 7^o. Metaphysic. ait, duplum conflare ex duobus dimidiis potestate.

LXXXIX. Tertius, 4^o. Physic. textu 44^o. ubi dicit quædam esse potentia in loco, quædam actu; partes autem continui ante divisionem esse in loco potentia tantum; post divisionem, esse actu.

LXXXX. Respondeo propter hæc loca, & locum pro nostra sententia citatum, mentem Aristotelis videri dubiam; commodè tamen intelligi posse, ita, ut quando 3^o. Physic. docet, ex eo, quod continuum sit divisibile in infinitum non esse actu infinitum, tantum velit, non esse infinitus actu hoc aliquid; sed sufficere, si potentia sit infinitus hoc aliquid; ratio est, quia Philosophi simpliciter per ens actu intelligunt ens completum, totum aliquod, &c. quod solum est simpliciter aliquid. Vide dicta p. 1^a. Tract. 1^o. Disp. 2^a. dub. 4. in Quæstione. Sic etiam intelligi potest 8^o. Physic. & 7^o. Metaph. imò & 4^o. Phys. nisi malis dicere Aristotelem 4^o. Physic. tantum velle partes continui ante divisionem non ambiri loco extrinseco seu à superficie alterius corporis, sed unam partem ab alia comparte ejusdem continui ambiri; nam, ut patet in ligno tripedalī, secundus pes majori ex parte à primo & tertio ambitur; ut autem aliquid dicatur simpliciter esse actu in loco, debet actu à superficie alicujus corporis circumcingentis ambiri. Hinc patet ad illud argumentum, quod à ratione fieri solet; cum dividitur continuum, tollitur aliqua unitas, quæ prius erat, ergo ponitur aliqua multitudo, quæ prius non erat, videlicet partium. Non enim de partibus id intelligi debet, sed de entibus completis, totis, &c. quæ ante erant unum, non quidem ratione indistinctiois, sed ratione continuationis; post verò multa, non quidem etiam ratione novæ distinctiois, sed ablatione continuationis.

LXXXXI. Objicies 2^o. si aliqua partes continui essent actu distinctæ ante omnem designationem, &c. omnes essent tales, ob paritatem rationis; sed hoc dici non potest, ergo, &c. probatur minor, quia alioqui continuum constaret ex indistinguibilibus, ac per consequens ex indivisibilibus; quia, quæ non possunt ulterius distingui, non possunt ulterius dividi; nam distinctio præsupponitur ad divisionem.

LXXXXII. Respondetur à multis concessa majore, negando minorem, ad ejus probationem distinguendo primam sequelam; quia alioqui continuum constaret ex indistinguibilibus, id est partibus carentibus partibus actu distinctis, vel possibilibus distingui, prout constat in sententia Zenonis, dum in ea constat punctis indivisibilibus Mathematicè, negatur sequela: constaret ex indistinguibilibus, id est ex partibus ita inter se distinctis,

ut inter se ulterius distingui non possent, conceditur sequela: verum hæc Responsio non placet quia indistingubile hoc sensu, quod ulterius in alias partes distingui non possit, nec ulterius in alias, partes dividi potest, ac proinde isto sensu indistingubile revera est indivisibile mathematicum; unde continuum deberet constare ex indivisibilibus mathematicè, quod per objectionem intenditur. Quare aliter

LXXXXIII. Respondeo distinguendo sequelam majoris: si aliqua partes continui essent actu distinctæ ante omnem designationem, &c. omnes essent adæquatè inter se actu distinctæ, nego sequelam; adæquatè, vel inadæquatè, concedo sequelam; non enim aliter distinguuntur partes inter se, quàm sint ab invicem divisibiles; quia ad distinctionem realem continuorum sequitur necessariò separabilitas seu divisibilitas realis quoad locum & unionem, ut attendenti patebit.

LXXXXIV. Instabis, unum & distinctum ab alio sunt idem; sed continuum non est toties unum, quot habet partes; ergo non habet omnes partes, etiam inadæquatè actu inter se distinctas: major admittitur; probatur minor, quia non omnes partes sunt inter se divisæ; unum verò definitur, quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio; ergo, &c.

LXXXXV. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem distinguo antecedens: non omnes partes sunt inter se divisæ, prout ly *divisum* sumitur ut idem est ac secundum unionem separatam, concedo antecedens; prout ly *divisum* sumitur in definitione *unius*, nego antecedens; definitionis autem *unius*, videlicet *unum est quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio*, est hic sensus, *unum est quod est id quod est, & non est quodlibet aliud*; pro quo vide dicta in Logica tract. 1. disp. 2. de Distinct. dub. 1^o.

D V B I V M VI.

An Continuum possit dividi in omnes suas partes.

R E S O L U T I O I.

LXXXXVI. Dico 1^o. Continuum non potest etiam per divinam omnipotentiam, simpliciter dividi in omnes suas partes, sic ut omnes omnino partes non sint ulterius divisibiles.

LXXXXVII. Probatur, quia alioqui continuum non fuisset compositum ex continuis essentialiter, sed ex indivisibilibus essentialiter, cujus contrarium supra contra Zenonem defendimus, ergo, &c. Probatur antecedens, quia omnes partes, quæ remanerent, essent ulterius indivisibiles, ac proinde, puncta indivisibilia mathematica.

LXXXXVIII. Objicies tamen, nulla est pars continui, quæ aliquam includat essentialiter, & quæ non possit adæquatè distingui & separari, ergo, &c.

LXXXXIX. Respondeo distinguendo antecedens, nulla est pars continui, quæ aliquam determinatam & non communicantem includat essentialiter, concedo antecedens; quæ aliquam indeterminatam & communicantem non includat essentialiter, nego antecedens.

c. Instabis, supra omnes partes continui nulla datur indeterminata & communicans; sed pars continui A. v. g. neque istam includit essentialiter, & ab illa potest adæquatè distingui & separari, neque

que istam & ab illa potest adæquatè distingui & separari, & sic de cæteris; ergo pars continui nullam etiam indeterminatam & communicantem includit essentialiter.

CI. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem; sed pars continui, neque istam communicantem includit, &c. & sic de cæteris communicantibus, nego minorem; quia de essentia cujuslibet partis semper sunt partes communicantes: non communicantem & sic de cæteris non communicantibus, concedo minorem; ratio est, quia illæ sunt adæquatè distinctæ.

CII. Adde 10. quòd super omnes distributive sumibiles, sive distribuibiles, semper sint aliquæ, puta una indeterminata ex qualibet totali collectione omnium partium cujuslibet partis; hæc enim, neque afficit totam distributionem, neque totam collectionem, quia distributio & collectio sunt entium determinatorum; sed media est, & una indeterminata ex qualibet totali collectione, ut exemplo equorum infra patebit; quia partes continui non sunt aliter distribuibiles, quàm divisibiles, & omnis pars, quæ sumitur distributive, semper alias includit; quia sicut divisio non est inter partes indivisibiles, ita nec distributio, sive distributiva sumptio.

CIII. Adde 2º. argumentum à sensu distributivo ad collectivum non semper valere, ut ex equis infra constabit, & subiectis exemplis, & *iste homo habet tantum unum nasum, & ille homo habet tantum unum nasum, & sic de cæteris distributive sumptis, ergo omnis homo collectivè habet tantum unum nasum: item, & ille homo est tantum unus homo, & ille homo est tantum unus homo, & sic de cæteris distributive sumptis, ergo omnis homo collectivè est tantum unus homo;* à particularibus enim ad universale collectivè non semper est bona inductio, licet bona sit à particularibus ad universale distributive, uti & si in ascensu affirmativo, à particularibus ad universale, quod de universali affirmatur, non conveniat particularibus, ut particularibus, ut hic, & *ille homo est unus homo & ille etiam, & iste, &c. ergo omnis homo collectivè sumptus est plures homines.* Negativus tamen ascensus à particularibus ad universale sæpe fallit, ut, *ad equitandum non indigeo isto equo, neque isto, & sic de aliis distributive sumptis, ergo ad equitandum nullo indigeo equo,* unde pro ascensu negativo semper advertendum, an non sequatur aliquod absurdum; quod hic sequitur, nempe me posse equitare sine equo, quod est perabsurdum.

RESOLUTIO II.

CIV. **D**ico 2º. contra varios recentiores, impliat, etiam per divinam potentiam, continui totalis resolutio in omnes partes proportionales unius proportionis.

CV. Probat, positâ illâ totali resolutione in omnes partes unius proportionis, peto, an in collectione omnium partium istius resolutionis, sit aliqua futura irresolubilis secundum illam proportionem, vel non? si prius, cum illa resolutio sit in medietates, dabitur una, quæ in duas medietates non erit resolubilis, atque adeo una, quæ erit indivisibilis in continuo, quod implicat: si posterius, ergo non est facta totalis resolutio continui in omnes partes istius proportionis, contra hypothesim positam; ergo, &c.

CVI. Confinant aliqui, quia alioqui sequere-

tur nos nunquam venturos ad finem horæ: sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probat sequelam, in prima parte proportionali horæ dividat Deus pedem in duas medietates; in secunda illas duas in quatuor; in tertia illas quatuor in octo, & sic consequenter; in fine horæ, vel omnes erunt divisæ in omnes dimidietates proportionaliter minores, in quas dividi possunt, vel non? si sic, ergo remanebunt aliquæ indivisibiles, videlicet illæ, quæ in medietates proportionaliter minores non erunt ulterius divisibiles; si non, ergo non erunt omnes divisæ in omnes partes proportionales unius proportionis, contra suppositum. Verum hæc confirmatio non multum urget; quia revera sic per medietates procedendo nunquam venimus ad finem horæ, ut consideranti patebit; unde illa dici debet fluere, non secundum partes proportionales, sed secundum aliquotas uni certæ æquales, licet indivisibiliter sumptas.

CVII. Objicies tamen, potest Deus ponere omnes divisiones continui quascunque videt possibiles; si enim non potest, quomodo videt possibiles? ponat igitur omnes quascunque videt possibiles, ponet omnes; nam alioqui, si restaret adhuc aliqua, non posuisset omnes quascunque; vidisset possibiles, aut certe non vidisset omnes possibiles, ergo, &c.

CVIII. P. Ovidius hujus argumenti (quod difficillimum vocat P. Arriaga) hic puncte 5º. n. 1. facile & clarè totam difficultatem à se exhaurientem promittit, & eo fine, dicit 10. Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, negat tamen divisiones illas omnes possibiles, posse inter se coherere: dicit 2º. Deum cognoscere posse multitudinem aliquam infinitarum divisionum posse existere; negat tamen Deum unquam cognoscere posse divisiones omnes posse existere.

CIX. Sed contra: Ovidius dicit 1º. Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, postea negat divisiones omnes posse existere, quomodo ergo omnes possibiles, si non possint omnes existere? 2º. dicit Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, negat tamen divisiones illas omnes possibiles posse inter se coherere, numquid eo modo, quo Deus cognoscit omnes divisiones possibiles possunt inter se coherere? omnino. Quare alteri facilius, ad argumentum & clariùs, quod revera est difficillimum,

CX. Respondeo distinguendo antecedens; potest Deus ponere omnes divisiones quascunque videt possibiles; videlicet partium non communicantium, & eò modò, scilicet distributive, quò videt illas omnes possibiles, concedo antecedens; communicantium, & aliò modò, scilicet collectivè, quàm videt illas omnes possibiles, nego antecedens: Deus autem non videt omnes collectivè, & partium communicantium, possibiles; quia alioqui videret omnes partes, post omnes divisiones collectivè, esse indivisibiles Mathematicè, sed partium communicantium distributive tantum, quia cum distributio afficiat semper numerum finitum, nunquam per illam pervenietur ad omnes collectivè divisiones.

CXI. Instabis, omnes partes continui non sunt indivisibiles, ergo sunt divisibiles.

CXII. Respondeo distinguendo antecedens, omnes partes continui collectivè, non sunt indivisibiles hoc sensu, quòd negent omnem divisibilitatem, ut punctum Mathematicum aut spiritus, concedo

concedo antecedens; hoc sensu, quod, licet ex partibus composita, negent omnem omnino separabilitatem ab omni alia parte collectivè, nego antecedens; quia, ut sapius dictum est, nulla est pars, quæ aliam communicantem & indeterminatam essentialiter non includat; indeterminatam, inquam, non quod sit indifferens ad esse vel non esse; sed quod, quatenus essentialiter inclusa in alia, à Deo non videatur, licet ut in se videatur; sic enim unus equus dicitur mihi necessarius ad equitandum, non quidem equus indifferens ad esse vel non esse; sed quem Deus determinare non possit, quatenus est mihi necessarius ad equitandum; quia quemcunque determinarit, non erit necessarius, eò quod alius (supposita possibilitate omnium) sufficiet, cum ad equitandum solum requiratur hic vel ille equus: nec mirum si Deus unum necessarium determinare non possit, quia cum necessitas supra unum determinatum non cadat; sed supra unum ex tota collectione & indeterminatum; determinatio verò supra unum determinatum cadat; unus necessarius equus ad equitandum (& idem est de una parte necessaria ad continuum) determinari, etiam à Deo, non potest, magis, quam indeterminatum ut tale esse determinatum.

CXIII. Urgebis, potest Deus ponere aliquas divisiones aliquarum partium collectivè sumptarum, ergo & omnes omnium partium collectivè sumptarum: probatur consequentia: quia ponat tot collectiones divisionum, quot potest, ipse posuerit omnes collectiones divisionum omnium partium collectivè sumptarum: sed potest ponere tot, quot potest, ergo, &c.

CXIV. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum: potest Deus videre aliquos numeros aliquorum equorum collectivè sumptorum non esse necessarios ad equitandum, ergo omnes omnium equorum collectivè sumptorum non esse necessarios ad equitandum: negabis procul dubio consequentiam: quia unus equus, saltem indeterminatus, essentialiter requiritur ad equitandum. Item hoc modò: potest Deus videre aliquos numeros dierum æternitatis collectivè, non esse necessarios ad glorificandum Deum: ergo & omnes omnium dierum æternitatis collectivè: procul dubio etiam negabis consequentiam: quia una dies indeterminatè est essentialiter requisita ad glorificandum Deum: unde & in argumento allato, etiam neganda consequentia: quia similiter una pars, saltem indeterminata, est necessaria ad continuum: sicut autem supra omnes numeros equorum omnium collectivè sumptorum nullus datur, ita nec super omnes divisiones omnium partium collectivè sumptarum ulla datur.

Ad probationem autem consequentiæ, distinguo majorem: sed priùs

CXV. Nota ly tot, quot, tantum, quantum, quidquid, &c. sumi dupliciter: 1^o. positivè tantum: 2^o. positivè, & negativè præterea: si sumantur positivè tantum, designant magnitudinem, vel multitudinem aliquam, quæ sub potentiam istam cadat, abstrahendo, an possit, aut non possit major sub illam cadere: si verò sumantur positivè & negativè præterea, designant magnitudinem, vel multitudinem talem, quæ quidem sub ista potentiam cadat, sed ita, ut non possit major sub illam cadere: hoc notato

Ad probationem consequentiæ,

CXVI. Distinguo majorem, ponat Deus tot collectiones divisionum, quot potest, sumendo ly

tot, quot, positivè tantum; ipse posuerit omnes collectiones divisionum omnium partium collectivè sumptarum, nego majorem; nam sic hujus propositionis, ponat tot collectiones divisionum, quot potest, est v. g. hic sensus, potest collectiones decem divisionum centum partium ponere, eas ponat, posuerit omnes, &c. quod est apertè falsum; sumendo ly tot, quot positivè & negativè præterea, ipse posuerit omnes, &c. concedo majorem; nec mirum, quia sic hujus propositionis, ponat tot collectiones divisionum, quot potest, sensus est, ponat tot collectiones ut non possit plures, ipse posuerit omnes, &c. quod est omnino verum; sed absolute negandum Deum posse ponere tot collectiones divisionum, quot potest, sumendo ly tot, quot, positivè & negativè præterea; quia hoc est ponere divisiones usque ad continui indivisibilia, quæ cum in continuo non sint, ut probatum est, eas divisiones Deus ponere non potest.

CXVII. En familia argumenta: Videat Deus tot collectiones equorum non esse necessarias ad equitandum, quot potest sumendo ly tot, quot positivè & negativè; ipse viderit omnes collectiones omnium equorum collectivè sumptorum non esse necessarias ad equitandum, & consequenter, nullum equum esse necessarium ad equitandum; quod non admittes, & reverà id est contra evidentem rationem. Item, videat Deus tot numeros dierum æternitatis collectivè non esse necessarios ad glorificandum Deum, quot potest, sumendo ly tot, quot positivè & negativè, ipse viderit omnes dies æternitatis collectivè non esse necessarios ad glorificandum Deum; quod similiter non admittes, & reverà evidenter rationi repugnat; in Deo enim non est posse, nisi ad possibilia, è quorum numero ista non sunt.

D V B I V M VII.

An dentur in Continuo indivisibilia
continuantia aut terminantia
eiusdem rationis cum
Continuo.

A Nte Resolutionem

CXVIII. Suppono indivisibilia continuantia dici, quæ sunt formalis ratio continui, sive id quò partes continui continuantur & ununtur inter se; terminantia verò, quæ continuum terminant, seu finiunt: partem affirmativam tuentur Scotistæ, Thomistæ, & è Societate plures, &c. negativà Nominales: P. Poncius verò, etiam in hac difficultate (inquit) existimo incertum esse quid dicendum, quia sunt argumenta insolubilia pro utraque parte.

R E S O L U T I O.

CXIX. Dico contra eximios PP. Scotum, Comnimbrienses, Suarez, Sotum, Rubium, nostros Complutenses, Murciam, Telles, Oviedum, Comptonum, &c. in continuo non dantur indivisibilia continuantia, aut terminantia, ejusdem rationis cum continuo: ita Okam Tractatu de Sacramento Eucharistiæ cap. 1^o. & 2^o. Gregorius in 2^{um} dist. 2^a, q. 2^a, art. 1^o. & omnes Nominales communiter, Durandus, Pereira, Dandinus, & nuper profundus D. Fromondus in suo Labyrintho à cap. 3^o.

CXX. Probant nonnulli: quia inter punctum initiativum quantitatis pedalis & cætera omnia pun-

ta, quæ non sunt ipsum, mediatur aliquid, quod non est punctum; nam post punctum non sequitur immediatè aliud punctum; ergo est pars, & consequenter continuum aliquod sine puncto: verumtamen hæc probatio videtur supponere falsum, videlicet esse aliquid assignabile, quod sit medium inter primum punctum & cætera puncta, quod punctum non includat; id enim negabunt Adversarii, sicut negamus inter unionem determinatam & cæteras uniones esse partem assignabilem, quæ unionem non includat. Quare aliter

cxxi. Probat 1^o. vel illa indivisibilia ex sententia sua uniant partes, vel non? si non, ergo sunt superflua ut continentur; quia præter illa, aliæ ad continuationem, tum partium, tum ipsorum, requiruntur uniones: si sic, ergo sunt uniones modales (quod negant;) quia erunt ultima & actualis determinatio in ratione uniuendii.

cxxii. Probat 2^o. Annihilatio & creatio respectu creaturarum existentium est naturaliter impossibilis, sed in illa sententia deberet esse naturaliter possibilis, ergo, &c. Probat minor, quia in naturali divisione materiæ definit punctum continuans ejusdem rationis cum materia, & in naturali ejus continuatione incipit, ergo, &c.

cxxiii. Resp. varii Thomiste non nisi inter partes quantitatis dari talia indivisibilia; quia substantiæ & qualitates à quantitate accipiunt partes. Sed

cxxiv. Contra 1^o. id satis rejectum est in Logica Disputatione de quantitate dub. 1^o. 2^o. rogo in quo illa indivisibilia quantitatis subiectentur; non in divisibili parte quantitatis, quia ipsa est subiectum improprietatum, ergo in indivisibili continui subiectari debet. 3^o. contactus substantiarum non potest esse secundum solam quantitatem; quia hæc est substantiis intimè imbibita, ergo secundum substantiam esse debet; ac proinde, si ad contactum admittantur indivisibilia, etiam illa in substantiis admittere oportet; unde sequitur, non solum inter partes quantitatis dari debere indivisibilia, sed etiam inter partes substantiæ contra præfatos Auctores.

cxxv. Respondet P. Telles hic Disp. 35. sect. 3^a. indivisibilia terminativa, vel copulativa, quæ de novo gignuntur, erant in quantitate, non actu, sed potentialiter.

cxxvi. Sed contra 1^o. nunc sermo est de indivisibilibus materiæ primæ, quæ sicut non est quantitas (ut supponitur, & alioqui eadem de ipsa, ac de materia difficultas) ita nec ejus indivisibilia sunt in quantitate: 2^o. esse virtualiter in quantitate, est posse produci a quantitate; omnino verum autem est quantitatem non esse sibi similis activam, ut omnes fatentur.

cxxvii. Respondet D. Murcia illam corruptionem non esse annihilationem, & illam productionem non esse creationem; quia, quamvis illa indivisibilia non habeant subiectum inhætionis, habent tamen adhætionis præsuppositum, ex quo fiunt; quod autem creatur, etiam hoc adhætionis subiectum negat.

cxxviii. Sed contra: si illa puncta sint cum partibus materiæ ejusdem rationis (ut supponitur) non magis habere possunt subiectum adhætionis, quam partes materiæ primæ: si verò diversæ, sunt uniones oppositæ sententiæ, præsertim cum habeant subiectum adhætionis ex quo fiunt, sicut illa; deinde creationem non excludere subje-

ctum adhætionis patet in anima rationali.

cxxix. Probat 3^o. ex absurdis, quæ ex illa sententia sequuntur: 1^o. contra ipsos, quodlibet continuum componi ex puris indivisibilibus; quod sic probatur: ideo in nostra sententia quodlibet continuum componitur ex puris indivisibilibus; quia quidquid est assignabile in continuo includit aliquid indivisibile, ergo similiter quodlibet continuum in illa sententia componitur ex puris indivisibilibus, quia quidquid est assignabile in continuo includit aliquid indivisibile. 2^o. sequitur Deum posse assignare primum indivisibile in continuo, & non posse secundum; quia alioqui posset assignare medium aliquod inter illa puncta sine puncto; quod non est minus absurdum, quam Deum posse ponere primam continui divisionem, & non posse secundam. 3^o. sequitur indivisibile additum indivisibili facere majus, vel alioqui omnino superflua esse puncta ob fines propter quos sunt à suis authoribus adinventata: quod probatur; vel enim illa sunt extra partes? & sic faciunt majus: vel non, sed penetrativè intra continui partes? & sic tam partes, quam ipsa initiant, & faciunt continuum, & in contactu perfectè sphericæ & plani, tam se contingunt partes, quam ipsa, quomodo etiam sunt omnino superflua, cum sint, tum ad habendam partem initialem & finalem continui, tum ad explicandum contactum perfectè sphericæ & plani à suis authoribus adinventata.

cxxx. Objicies tamen 1^o. Aristoteles satis frequenter insinuat dari indivisibilia extra animam, ut cap. 1^o. de quantitate, cum dicit partes lineæ copulari puncto, superficiæ lineæ, corporis superficie.


cxxxi. Respondeo Aristotelem per hoc non velle dari indivisibilia formaliter ante animam, sed æquivalenter, quomodo agnosimus partes divisibiles indivisibiliter sumptas: vel dic Aristotelem de indivisibilibus loqui, quasi formaliter essent ante animam, ad faciliorem explicationem difficultatum continui; non verò quia formaliter sunt ante animam; vel denique ex propria sententia non loqui, sed communi sui temporis, quod sæpius facit in Prædicamentis; unde cum 8^o. Metaph. text. 14^o. pro exemplo attulisset puncta; addit, si fuerit eo modo intellige geometras, qui multa demonstrant de lineis & superficiebus.

cxxxii. Objicies 2^o. corpus perfectè sphericum tangit planum in puncto; perfectè cylindricum in linea; perfectè planum in superficie; ergo dantur puncta indivisibilia, lineæ & superficies.

cxxxiii. Respondeo 1^o. distinguendo antecedens, corpus perfectè sphericum tangit planum in puncto, &c. sumendo punctum formaliter, nego antecedens; æquivalenter, id est pro parte divisibili indivisibiliter accepta, concedo antecedens; sed nihil particulare in hac solutione; debent enim illam, velint nolint, usurpare adversarii nostri; nam punctum medium inter partes afficit partes divisibiles, non quidem divisibiliter acceptas, ut patet, sed indivisibiliter: deinde si trahatur perfectè sphericum per planum, illud in puncto & parte divisibili debet planum tangere in sententia ipsorum: denique, cum perfectè sphericum tangit planum in puncto, vel etiam illud tangit in intermediatis partibus, vel non? si primum, sequitur intentum; si secundum, ergo punctum, quod tangitur facit extensionem & partes distantes, quod non dixerint.

CXXXII. Instabis perfectè sphericum tangit planum in puncto formaliter, ergo, &c. Probatur assumptum, quia foramen, quod ille contactus facit in aère, est formaliter indivisibile; nam alioqui, si esset formaliter divisibile, jam tangerent se in parte formaliter divisibili, contra solutionem datam.

CXXXIII. Respondeo negando assumptum: ad ejus probationem, Respondeo supponi falsum, videlicet, quòd contactus ille faciat foramen in aère, cum tamen relinquat partium aëris contactum similem illi, quò perfectè sphericum & planum se contingunt; quod ita manifesto; sit globus in quatuor cuneos à te mente divisus, quorum primus sit A. secundus B. tertius C. quartus D.



cuneus A. cuneus B. & cuneus C. cuneus D. sine medio, seu immediatè, cōtingit; loco cuneorum A. & B. pone partes aëris, videbis quòd se contingent immediatè cunei C. & D. sine foramine in aère; an autem illo casu partes aëris adhuc sint futuræ continuæ, an contiguæ tantum? patebit ex dubio se. uenti. Ex his dic, Aristotelem quando dicit *ea se tangere, quorum extrema sunt simul*, agere de similitate negativa, seu non distantia; non verò de positivâ, seu penetrationis; cum autem docet *locum esse æqualem locato*, agit de continentia; non verò de commensuratione loci & locati.

CXXXIV. Urgebis, lumen est in superficie corporis opaci; sed non est in superficie æquivalenter, ergo formaliter.

CXXXV. Respondeo propter hoc argumentum fortè dicendum omne corpus opacum esse aliquousque diaphanum; sed in parte tam parva ut sensus eam esse diaphanam non videat, ut notant nonnulli Optici, per quod distinguuntur à diaphano; vel dic lumen non esse nisi in ultima superficie aëris corpori opaco immediati; per ultimam tamen superficiem non intelliges aliquid indivisibile; sed partem divisibilem quatenus habet negationem ulterioris extensionis, vel indivisibiliter sumptam modo supra dicto.

DUBIUM VIII.

Per quid continentur Partes continui permanentis.

CXXXVI. Non facilius dicitur quid continuatio continui, quàm quid ipsum continuum; communiter asserunt auctores continui partes continuari modo unionis à partibus realiter distincto: verùm illi auctores inter se dissident: nam aliqui pro toto continuo unicum modum continuationis admittunt; aliqui plures & tot, quòd sunt in isto continuo partes naturaliter indivisibiles: alii denique, tot unionibus indivisibilibus continuari, quot sunt absolutè partes. Contra quos fit

RESOLUTIO I.

CXXXVII. Dico 1^o. partes continui non continentur unico modo continuationis.

CXXXVIII. Probatur, quia de essentia istius mo-

di esset continuare omnes partes istius continui, ita, ut parte adjectâ, vel ademptâ, necessariò desineret: unde licet sit divisibilis formaliter in quantum eductus de subiecto divisibili, & partes divisibiles uniens, dicitur tamen à suis auctoribus indivisibilis, in quantum remanens, nec pauciores, nec plures partes, potest unire, quàm totius illius continui, subsumo.

CXXXIX. Sed hinc sequitur grave absurdum, ergo, &c. Probatur minor, quia sequitur aërem, Oceanum, &c. totum continuò intrinsicè mutari: quia aër continuò secundum aliquam partem convertitur in substantiam viventis & aliorum corporum: aqua verò Oceani per continuas exhalationes in aërem: unde continuò aliquid illis admittitur: ac proinde continuò modus ille unicus continuationis ipsius intrinsicè mutatur: sed illud est magnum absurdum: quis enim crederet minimâ parte aquæ demptâ propè Ostendam, mutari intrinsicè totum mare propè Brasiliam? ergo, &c.

RESOLUTIO II.

CXL. Dico 2^o. partes continui non etiam continentur per plures modos continuationis, ita v.g. ut decem partes aliquotæ habeant unum modum: aliæ decem alium. & sic de cæteris.

CXLI. Probatur quia id aliquid de eodem absurdo participat, ut consideranti patebit, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

CXLII. Dico 3^o. partes continui non continentur per tot modos continuationis, quot sunt in isto continuo partes naturaliter indivisibiles.

CXLIII. Probatur, quia, vel illæ continuationes essent actualis unio ad unionem, vel non? si non, ergo inter se deberent uniri per aliam unionem, & sic, 1^o. multiplicarentur uniones sine necessitate, 2^o. daretur unio ad unionem: si sic ergo non poterit, una continuatio cessare remanente aliâ, ac proinde hæc conclusio incurret totum absurdum primæ Resolutionis.

CXLIV. Dices sufficienter uniri inter se per unionem partium naturaliter indivisibilium ad invicem.

CXLV. Sed contra 1^o. non sufficienter extenduntur per extensionem partium naturaliter indivisibilium; sed extenduntur per extensionem entitativam propriam, licet accommodatam extensioni propriæ partium; ergo nec sufficienter ununtur inter se, &c.

CXLVI. Contra 2^o. saltem partes sunt indifferentes, ut inter se continentur; unde inter partes multiplicabuntur uniones sine necessitate.

CXLVII. Contra 3^o. quidquid sit de unione continuationum inter se, aut partium naturaliter indivisibilium continuarum: peto an illa unio media sit futura divisibilis, an indivisibilis? non primum, quia faceret extensionem inter partes, ac proinde partes continui non essent immediatè sibi invicem: non etiam secundum, quia cum non sit potior ratio, cur potius in una parte foret, quàm in aliâ, in utraque parte esse deberet, ac proinde in duobus partium locis; intelligi autem non potest, quomodo 1^o. aliquid indivisibile corporeum naturaliter sit in duobus locis: 2^o. quomodo aliquid entitativè indivisibile subiectetur in subiecto divisibili.

RESOLUTIO IV.

CXLVIII. **D**ico 4^o. partes continui non etiam continuantur per tot uniones indivisibiles, quot sunt absolute in isto continuo partes.

CXLIX. Probatur primo quia ex illa sententia evidenter sequitur omnes partes continui se penetrare naturaliter, & non facere extensionem; quod est contra omnem sensum & oculum, ergo, &c. Probatur sequela, quia quæcumque ununtur debent esse in eodem loco cum unione materiali indivisibili, per quam ununtur, ergo & inter se; Probatur consequentia; quia quæcumque sunt in eodem loco cum tertio materiali indivisibili, sunt in eodem loco inter se.

CL. Dices nequidem per Deum posse assignari in quo præcisè illæ uniones recipiantur, & quas præcisè partes uniant, ut ait Hurtadus.

CLI. Sed contra 1^o. etsi nulla pars determinata & aliquota assignari possit in qua recipiatur unio; assignari tamen potest aliqua indeterminata & proportionalis, id est minor & minor in infinitum; vel ut alii, aliqua divisibilis indivisibiliter sumpta; illa autem & simul alia talis, erit penetrata cum unione, & consequenter etiam inter se.

CLII. Contra 2^o. & efficacius: *indivisibile v. g. punctum* (ut tu ipse contra Zenonitas argumentaris) *additum indivisibili*, imò & divisibili, *non facit majus*, quia illud penetrat, si illud tangat; ergo & utraque pars cum illa unione (sive hæc in illis sit in hæsi, sive adhæsi tantum; quia semper debet illas tangere ut uniat) erit penetrata, ac per consequens inter se in loco indivisibili unionis.

CLIII. Probatur 2^o. quia illa unio debet esse in altera parte, vel in utraque; sed non est potior ratio, cur in una potius sit, quam in alia; ergo in utraque esse debet; quod etiam dici non potest, quia alioqui deberet esse in duobus locis, ut Resolutione tertia dictum est, ergo, &c.

CLIV. Probatur 3^o. partes continui se habent ad continuationes, sive uniones omnes collectivè, tanquam causæ ad effectus, subjecta ad formas, &c. hoc positò, sic argumentor; vel ut subjecta istarum unionum involvunt aliquam unionem, vel non? si non, ergo sunt pura indivisibilia mathematica, ut patet: si sic, ergo frustra sunt illæ uniones; quia jam illæ partes ut subjecta sunt unitæ, sive habent uniones; deinde involvunt illam unionem accidentaliter, vel essentialiter? si accidentaliter, poterit à Deo separari, & illa separata, continuum erit realiter indivisibile; imò, sive possit, sive non possit à Deo separari, saltem continuum essentialiter erit pura indivisibilia; quia nullam unionem essentialiter includit, quod non admittent; si essentialiter, vel generatur, vel creatur, quidquid dixeris est absurdum: si generatur, generatur & materia prima; quia illud generatur, cujus unio inter partes generatur, ut patet; nam homo ideo ex communi sensu dicitur generari, quia inter partes ipsius unio generatur: si creatur, ergo nutritio hominis, scissio carnis, augmentatio aquæ maris, diminutio fontis, est supernaturalis, quia involvit, vel creationem unionis, vel annihilationem; unio autem est de essentia continui talis v. g. septipedalis: deinde si una unio continui creetur, cum illa, quæ est de essentia continui sit indeterminata, creatur & alia, alioqui fieri posset, quòd illa, quæ

generatur sit de essentia continui, quòd datò sequitur quòd materia generetur ut supra dictum est. Hæc etiam probatio habet vim contra continuationes, de quibus Resolutione 1^a, 2^a, & 3^a.

CLV. Confirmatur, quia illæ omnes uniones, de quibus Resolutione 1^a, 2^a, & 3^a, & hæc, sunt superflua, ut patebit ex Resolutione sequenti.

RESOLUTIO V.

CLVI. **D**ico 5^o. partes continui continuantur seipsis immediate, non quidem aliqua continuatione Physicâ, sed morali tantum positâ indistantiâ ab invicem, certâ proportionem & temperie dispositionum per modum connotati, sub qua proportionem & temperie communiter partes dicuntur continuæ. Ita Nominales, & recentiores nonnulli quòs tacito nomine impugnant PP, Telles, & Comptonus. Sed ante probationem.

Nota continuationem posse distinguere duplicem: unam Physicam, quæ formaliter sic per entitatem Physicam à partibus realiter distinctam, quam quatuor primis Resolut. Disp. 6^a. dub. 1^o. lib. 1^o. rejecimus, & cui non multò ab similem agnovimus inter materiam & formam, sive inter partes compositi ex actu & potentia: aliam moralem, & est illa, quam habere dicuntur partes continui præcisè positus dictâ partium indistantiâ ab invicem, certâ proportionali temperie dispositionum per modum connotati: quæ autem & quanta esse debeat illa proportio & dispositionum temperies ad istam continuationem moralem, nec nos, nec ipsi determinare possunt; hoc tamen certum, illam requiri & sufficere, quâ positâ, ab omnibus dicuntur partes de non continuis esse factæ Physicè continuæ. Hoc itaque notato

CLVII. Probatur 1^o. refutatione aliarum sententiarum, & superfluitate aliarum continuationum Physicarum, ergo, &c.

CLVIII. Probatur 2^o. res fluxæ, ut sunt aer, aqua, ignis, oleum, &c. secundum commune iudicium, hoc ipso, quòd sunt localiter conjunctæ, dicuntur esse continuæ: numquid enim, si ab Oceano tolleretur omnis unio Physicâ, & remanerent partes localiter indistantes, ut jam sunt, adhuc diceretur unus Oceanus, & unum continuum? omnino; quia jam talis non dicitur propter illas uniones Physicâs, cum sensu aliquo perceptibiles non sint; ergo, &c.

CLIX. Probatur 3^o. res duræ, & quæ difficulter dividuntur, ut ferrum, lapis, lignum, &c. habent aliquam ex certa suarum dispositionum naturali temperie partium suarum tenacitatem, quâ præcisè positâ & remanente, dicuntur habere partes continuas, ergo, &c.

CLX. Obijcies 1^o. in composito essentiali datur unio Physicâ; ergo etiam in continuo, sive composito integrali, consequentia tenet à pari.

CLXI. Respondeo negando consequentiam: est enim disparitas, in eo videlicet, quòd ad unionem essentialem, indistantiâ partium essentialium simul cum omnibus dispositionibus & conditionibus (de quibus lib. 1^o. Physic. Disp. 6^a.) non sufficiat ob rationes ibidem allatas, quæ hic non militant; nec aliæ adferri possunt, ob quas unio illa in continuum inveni debeat, ut solutione argumentorum patebit; unde illa esset in continuo superflua.

CLXII. Obijcies 2^o. ex hac sententia sequitur omnia

omnia corpora Vniuersi esse continua, saltem secundum materiam; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

CLXIII. Respondeo distinguendo sequelam, sequitur omnia corpora Vniuersi habentia certam proportionem & temperiem dispositionum, quam præquiris ad continuationem Physicam, esse continua, concedo sequelam, quia id ipsum concedere debes: non habentia, propter quod inter illa negas continuationem Physicam, nego sequelam; ex quo pater nos non aliud docere, quam quod docent aduersarii nostri, exceptâ continuatione realiter distinctâ ab illis dispositionibus, temperie, &c.

CLXIV. Objicies 3^o. ex P. Telles loco supra sæpius citato, *supponendum est ut certum in utraque sententia, partes continui necessariò unitas esse inter se, medio aliquo unionis; alioqui continuum esset aliquid aggregatum partium separatarum, ut est acervus lapidum; ergo, &c.*

CLXV. Confirmatur ex P. Comptono etiam loco sæpius citato, *materia non est apta ut recipiat formam ullam, vel substantialem, vel accidentalem, donec partes ipsius integrantes inter se uniantur, & sit continua; alioqui existeret diuisa in omnes suas partes, omni istâ proportionum & dispositionum temperie ablata, que tam à materia, quam omnis forma substantialis, abstrahi potest, ergo, &c.*

CLXVI. Respondeo negando suppositum; ad illius probationem, Respondeo negando sequelam; ad hoc enim ut non sit aggregatum partium separatarum, sufficit indistantia partium, cum ea proportionum & dispositionum temperie, quâ positâ ab omnibus Philosophis dicuntur unitæ, cujus etiam defectu acervus lapidum non dicitur continuus.

Ad Confirmationem verò

CLXVII. Respondeo distinguendo assumptum, materia non est apta, &c. donec partes ipsius integrantes inter se uniantur rigorosè Physicè, sive per modum continuationis ante rejectum, nego assumptum: moraliter & per partium indistantiam, cum ea proportionum & dispositionum temperie, quâ positâ ab omnibus Philosophis dicuntur unitæ, concedo assumptum & dico hanc omnium partium indistantiam, & proportionum ac dispositionum temperiem non magis posse per Deum à materia auferri, quàm in sententia aduersariorum ab ea auferri possit omne indivisibile continuativum, aut omnis modus continuationis; quod enim illi de his dicunt, nos de indistantia ista partium, &c. dicimus.

CLXVIII. Objicies 4^o. juxta hanc sententiam continuum non differt à contiguo; sed hoc est expressè contra Aristotelem & communem Philosophorum; ergo, &c. Pro solutione

CLXIX. Suppono 1^o. eandem esse proportionem materiæ ad materiam discontinuam, quæ est materiæ ad materiam continuam; quia semper manet, quòd sint ejusdem rationis, & quòd sicut una se habet ad aliam tanquam ad continuabile ejusdem rationis; ita alia ad aliam: è contra verò suppono diversam esse proportionem formæ ad formam ejusdem rationis à proportionem formæ ad formam diversæ rationis, quia sunt diversæ rationis, & una se habet ad aliam tanquam continuabile ejusdem rationis; alia verò ad aliam tanquam ad non continuabile eadem remanente quantitate temperie & citra conversionem. Vnde fieri potest quòd materiæ duorum compositorum indistantium sint continuæ, formis discontinuis manentibus, ut fit, dum truncus informatur animâ pomi

& animâ pyri, aut dum lignum supernat aquæ; materiæ enim sunt continuæ ratione indistantiæ & eadem ad invicem proportionem; formæ verò, licet indistantes, sunt discontinuæ, ratione diversæ utriusque ad invicem proportionis.

CLXX. Suppono 2^o. de continuatione eorum, quæ sub sensum non cadunt, à nobis judicari non posse; sed de eorum continuatione aut discontinuatione, judicari debere juxta continuationem aut discontinuationem eorum, quæ sub sensum cadunt; ac proinde, sicut duæ formæ aquæ indistantes dicuntur continuæ, ita & duæ materiæ indistantes, licet eorum formæ discontinuæ & diversæ rationis essent, dici debent continuæ. His suppositis,

CLXXI. Respondeo negando majorem, quia contiguum est inter formas quascumque, etiam indistantes, diversæ inter se rationis, quæ in communi sententia, etiam indistantes, non continuantur, ut in rebus duris, quamdiu non adest quædam partium immediata tenacitas & viscositas, imò, & in liquidis quamdiu non fit commixtio; continuum verò est inter formas quascumque indistantes, quæ in communi sententia, hòc ipso quòd indistantes, dicuntur continuari; ut in rebus duris, hòc ipso quòd adest quædam partium immediata tenacitas ac viscositas, & in liquidis commixtio. Ex his

CLXXII. Colliges 1^o. continuum non esse totum Physicum, sed morale tantum, hoc sensu, quòd continuationem moralem importet, nullam verò realem Physicam propriè dictam à suis extremis realiter distinctam: 2^o. non constare partibus Physicis secundum esse partium inter se per unionem realiter ab extremis distinctam Physicè unitam; sed moraliter tantum: 3^o. continuationem illam moralem & impropiè dictam Physicam, non posse inadæquatè à continuo separari, magis quam omnis continuatio propriè dicta Physica.

D V B I V M I X.

De Continuo successivo & ejus continuatione.

RESOLUTIO I.

CLXXIII. **D**ico 1^o. continuum successivum, ut tempus, motus localis, duratio rerum permanentium, &c. componitur ex partibus in infinitum divisibilibus.

CLXXIV. Probatur 1^o. quia eodem modo videtur de continuo successivo, ac de permanenti, philosophandum; si enim duo puncta non faciant magis extensum localiter permanentem, quia nullam habent extensionem localem; duo instantia non faciant magis extensum temporaliter successivè, quia nullam habent extensionem temporalem, licet quoad numerum faciant magis extensum, ergo, &c.

CLXXV. Probatur 2^o. Quia alioqui nullus motus localis esset possibilis; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela, quia suppositâ veritate nostræ sententiæ de divisibilitate in infinitum continui permanentis, motus semper est ad spatium divisibile habens prius & posterius; sed cum prius debeat acquiri ante posterius, in instanti non potest prius & posterius acquiri, ergo nullus motus localis esset possibilis.

CLXXVI. Objicies ex P. Oviedo: partes temporis essentialiter sunt successivæ, ergo numquam sunt duæ partes illius simul, ergo numquam existit divisibilis aliqua temporis pars; quia alioqui deberet simul actu existere prius & posterius.

CLXXVII. Respondeo 1^o. retorquendo argumen-
tum contra P. Oviendum in continuum permanens:
partes continui permanentis sunt essentialiter per-
manentes; ergo numquam est una tantum; ergo
numquam existit indivisibilis aliqua continui per-
manentis pars; quia alioqui deberet tantum exi-
stere prius indivisibile continui permanentis: ad-
misso antecedente, ad primam consequentiam hu-
jus argumenti distinguo; ergo numquam est una
tantum, si illa accipiat divisibiliter & pro parte
aliquota, concedo consequentiam: si accipiat
indivisibiliter & pro parte proportionali minori &
minori in infinitum, nego consequentiam: sic
proportionaliter ad objectionem

CLXXVIII. Respondeo 2^o. admisso anteceden-
te, distinguendo consequens, ergo numquam
sunt duæ partes temporis simul, si accipiantur di-
visibiliter & pro partibus aliquotis, concedo con-
sequentiam. si accipiantur indivisibiliter & pro par-
tibus proportionalibus minoribus & minoribus, in
infinitum, nego consequentiam.

CLXXIX. Adde tamen quod dico in continuo
permanenti futuram unam tantum partem, si acci-
piatur indivisibiliter, & in successivo futuras duas
simul, si etiam accipiantur indivisibiliter, me non
velle continuum permanens posse aliquando exi-
stere secundum partem realiter indivisibilem, &
successivum posse simul existere secundum partes
realiter inter se divisibiles; sed tantum permanens
posse existere secundum partes minus & minus
extensum in infinitum, & successivum secundum
partes minus & minus durans in infinitum; sic-
ut enim non datur pars continui permanentis, quæ
tangatur perfecte sphericum, secundum prius &
posterius adæquatè sumpta, sed secundum inadæ-
quationes eorum in infinitum, sive secundum mi-
nus & minus eorum in infinitum, ita non datur
pars continui successivi, quæ simul existat secun-
dum prius & posterius adæquatè sumpta, sed se-
cundum inadæquationes eorum in infinitum, sive
secundum minus & minus eorum in infinitum. Ex his

CLXXX. Colliges 1^o. contra Arriagam mobile,
dum movetur, semper esse in loco se majori, num-
quam in æquali; quia omnis ipsius motus semper
est in parte temporis, in qua omni durante motu,
semper est in duobus locis.

CLXXXI. Colliges 2^o. partes temporis esse essen-
tialiter successivas, sicut partes lineæ sunt essen-
tialiter permanentes, videlicet, si accipiantur divisi-
biliter & secundum quod sunt aliquotæ.

RESOLUTIO II.

CLXXXII. **D**ico 2^o. partes continui successivi
etiam non continuantur ullo ex
modis supra pro permanente rejectis.

CLXXXIII. Probat: quia, præterquam quod
de utroque pariformiter sit philosophandum, par-
tes temporis possunt dici sibi essentialiter imme-
diatè succedentes, ita ut post hanc horam imme-
diatè essentialiter sequatur secunda, & non tertia:
unde forent continuationes realiter distinctæ om-
nino superflue, ergo, &c.

DVBIVM X.

De Inceptione & Desitione rerum.

RESOLUTIO I.

CLXXXIV. **D**ico Res permanentes, & successi-
væ similiter, dici possunt indiffe-
renter incipere & desinere intrinsecè, vel extrin-

secè. Sed ante probationem,

CLXXXV. Nota 1^o. incipere intrinsecè, sive ut alii,
per primum sui esse, esse incipere per illud instans
(sive sumendo ly *instans* æquivalenter modo sæpius
explicato; quia semper includit prius & posterius,
licet indivisibiliter; sive pro parte determinata ex-
cludente priores & posteriores aliquotas, quomo-
do dicitur jam esse October, Octobrem sumendo
pro tempore determinato excludente Septembrem
& Novembrem) quo verum est dicere, *jam res est,*
& *immediatè ante non erat:* incipere verò extrinsecè,
sive ut alii, per ultimum sui non esse, est incipere
per illud instans, quo verum est dicere, *jam res non*
est, & immediatè post erit.

CLXXXVI. Nota 2^o. desinere intrinsecè, sive ut
alii, per ultimum sui esse, esse illo instanti desinere,
quo verum est dicere, *jam res est, & immediatè post*
non erit; desinere verò extrinsecè, sive ut alii, per
primum sui non esse, est illo instanti desinere, quo
verum est dicere, *jam res non est, & immediatè ante*
erat: His notatis,

CLXXXVII. Probat: Resolutio de rebus perma-
nentibus, 1^o. quoad inceptionem intrinsecam & ex-
trinsecam: supponas quod Petrus existat totà horā
secundā, primo instanti istius horæ verum est di-
cere, *Petrus jam est, & immediatè ante non fuit;* item ul-
timo instanti horæ primæ verum fuit dicere, *jam*
non est, & immediatè post erit; sed hoc est incipere in-
trinsecè, & extrinsecè, ergo, &c.

CLXXXVIII. Probat: de iisdem 2^o. quoad desit-
tionem intrinsecam & extrinsecam: supponamus,
quod Petrus existat totā horā secundā, ultimo in-
stanti istius horæ verum est dicere, *Petrus jam est, &*
immediatè post non erit; item primo instanti horæ ter-
tiæ verum est dicere, *jam non est, & immediatè ante*
fuit; sed hoc est desinere intrinsecè & extrinsecè,
ergo, &c.

CLXXXIX. Probat: Resolutio de rebus successi-
vis: 1^o. quoad inceptionem intrinsecam & extrinsecam:
supponas, quod motus existat totā horā se-
cundā, primo instanti istius horæ verum est dicere,
jam est motus, & immediatè ante non fuit; item ultimo
instanti horæ primæ verum fuit dicere, *jam non est*
& immediatè post erit; sed hoc est incipere intrinsecè
& extrinsecè, ergo, &c.

CLXXX. Probat: de iisdem 2^o. quoad desitionem
intrinsecam & extrinsecam: supponas quod motus
existat totā horā secundā: ultimo instanti istius ho-
ræ, verum est dicere, *motus jam est, & immediatè post*
non erit: item primo instanti horæ tertiæ verum est
dicere, *jam non est, & immediatè ante fuit;* sed hoc
est desinere intrinsecè & extrinsecè, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

CLXXXI. **D**ico 2^o. malim tamen dicere res per-
manentes & successivas incipere
intrinsecè & desinere extrinsecè.

CLXXXII. Probat: quia incipere sonat esse; desi-
nere, non esse; ergo quod incipit, maxime incipit per
primum sui esse; & quod definit maxime definit
per primum sui non esse.

CLXXXIII. Confirmatur, quia quod incipit fit
de non existente existens, & quod definit fit ex exi-
stente non existens; ergo illud sonat esse, & hoc non
esse, est cum incipit, & non est cum definit, ergo, &c.
Ex his

CLXXXIV. Colliges in contrariis, dum una forma
incipit intrinsecè, oppositam desinere extrinsecè,
vel è contra,

DISPVT.

DISPUTATIO TERTIA.

De Loco Intrinseco & Extrinseco.

DUBIVM I.

Quid sit Locus Extrinsecus.

RESOLUTIO.

Dico locus Extrinsecus juxta Aristotelem lib. 4^o. Physic. textu 42^o. est ultimus terminus continentis; sive ut alii: est ultima superficies corporis ambientis. Additur quidem communiter post Aristotelem, immobilis: sed vel dicendum Aristotelem ibi definire locum extrinsecum intrinsecè locatum; vel si definiatur locus extrinsecus prout opponitur intrinseco particulariter, ista omnino onitti debet; nec puto locum extrinsecum aliter à vase distingui debere quàm in eo, quòd locus extrinsecus in motu mobile non comitetur; vas autem comitetur juxta illud D. Thomæ lib. 4^o. Physic. lect. 6^a. ubi ait, *vas & locus in eo differre videntur, quòd vas transmutetur; locus autem non.* Ratio autem est, quia loci extrinseci immobilitas loco extrinseco ut tali non convenit, siquidem nulla superficies ita corpus ambit, ut per Deum secundum se moveri non possit; inò superficies ultima aëris ambientis turrim, continuò movetur ac mutatur; sed ut locatur intrinsecè per *ubi*, quòd quia semper servat eandem distantiam & propinquitatem ad *ubi* alia Univerſi, in Oriente v.g. Occidente, Meridie & Septentrione, & Centro terræ, dicitur immobile: unde admitti non debet, quòd docet P. Comptonus Physic. Disp. 32. sect. 2. nempe, aquam, quæ in eodem vase ab uno loco in alium deferretur, non mutare locum extrinsecum realem, sed correspondentiam ad spatium imaginarium, sic ut commune illud affirmat, *quidquid movetur mutat locum*, intelligatur de loco intrinseco: admitti (inquam) non debet; quia inprimis est contra Aristotelem & Divum Thomam supra; deinde id est locum extrinsecum realem confundere cum vase; quòd est contra sensum communem omnium dicentium, vase de cavea in caveam translato, vinum mutasse caveam & locum extrinsecum, haud secus quàm si sine vase ad caveam aliam miraculosè vel aliter translatum esset.

DUBIVM II.

Quid sit *ubi*, & quomodo distinguatur à loco locato & cæteris connotatis.

RESOLUTIO I.

Dico 1^o. *ubi*, est fundamentalis præsentia rei in loco: sive ratio formalis per quam res constituitur in esse existentis potius hîc, quàm alibi.

RESOLUTIO II.

Dico 2^o. *ubi* distinguitur realiter à loco & locato.

iv. Probat; quia potest esse hic locus, & hæc res, & interea res non esse in hoc loco; ergo *ubi* est aliquid realiter distinctum & superadditum loco & locato: probatur consequentia; quia alioqui idem simul esset, & non esset.

v. Nec dicas 1^o. præter locum & locatum requiri præsentiam sive coexistentiam utriusque; nam, vel agis de præsentia seu coexistentia formali, vel de fundamentalis? fundamentalis non potest esse solus locus & locatum (vt vidimus) formalis verò præ-

supponit fundamentalem, quam dicimus esse aliquid realiter distinctum à loco & locato: eodem modo rejicias alias similes multorum locutiones, ut quòd *esse hîc* sit dicere talem respectum seu habitudinem ad quinque puncta mundi.

vi. Nec dicas 2^o. *ubi*, seu *me esse hîc*, nihil aliud esse præter locum & locatum & negationem essendi alibi; quia illa negatio (præterquam quòd sit impertinens; quia possum esse hîc & non habere negationem essendi alibi. ut si per Deum essem hîc & alibi) debet in aliquo fundari: non quidem in hoc loco & hoc locato; quia potest utrumque existere, & non haberi *esse hîc*, aut *negatio essendi alibi*, ut v.g. si sum Romæ: deinde per motum localem perdo hanc negationem essendi alibi; unde peto per quid destruat? non enim per locum & locatum, quia cum illis consistere potest; ergo per aliquid à loco & locato realiter distinctum; igitur negatio ista, in isto, à loco & locato realiter distincto, fundari debet.

RESOLUTIO III.

Dico 3^o. *ubi* non distinguitur realiter à motu locali; qui 1^o. nihil aliud est quàm adductio ad locum; permanens, si ad unum; successiva si ad plura successive, prout adversarii de productione *ubi* philosophantur; qui 2^o. distinguitur à prima rei productione, non secus ac productio *ubi* illius; cum hoc tamen discrimine, quòd in sententia adversariorum hæc sit à re jam producta (quod ut absurdum infra impugnabitur) in nostra, à concausis ipsius rei concomitantè ad primam rei productionem, de quibus infra.

viii. Probat 1^o. quia totum, quòd adversarii dicunt de *ubi*, dicere possum de motu locali, ergo, &c. Probat antecedens, quia cum motus localis secundum adversarios terminetur ad *ubi*, non est minus determinatus ad essendum hîc, & non alibi, & consequenter ad constituendum mobile hîc potius, quàm alibi, quàm ipsum *ubi* ad quòd terminatur: deinde idem dicere possum de motu ut primà rei adductione ad locum, quòd adversarii dicunt de prima rei productione, ut sui *ubi* productione; sed de hac ut prima sui *ubi* productione dicunt esse determinatam ad essendum hîc & non alibi; ergo & de illo ut primà rei adductione ad locum dicere potero esse determinatum ad essendum hîc & non alibi. hoc assumptum patet, quia nihil impedit ut solutione objectionum constabit; unde *ubi* à motu locali realiter distinctum est omnino superfluum.

ix. Probat 2^o. non est potior ratio admittendi *ubi* realiter distinctum à motu locali, quàm unionem realiter distinctam à generatione; sed hæc non datur realiter distincta à generatione, ergo nec illud *ubi*, &c. Probat major, quia sicut hæc est sui & extremorum unio, ita motus localis est sui & corporis locatio; minor probata est supra.

x. Confirmatur 1^o. idem est motus localis, vitalis & non vitalis ex parte termini; sed motus localis vitalis non habet terminum realiter à se distinctum, (ut constabit à pari ex dicendis de intellectiois, visionis, volitionis, &c. termino in libris de Anima); ergo nec motus localis non vitalis: consequentia est Aristotelis 3^o. Physicorum textu 59. ubi

ubi dicit corpus per motum non mutari intrinsecè, quia solâ latione, nihil quod insit, mutatur: item & D. Thomæ 1^o. p. q. 11^o. art. 3^o. & de potentia ac malo q. 16^o. art. 10^o. ubi docet per alios motus mobile mutari in aliquo intrinsecò; per motum verò localem solum acquirere locum extrinsecum, ergo, &c.

xI. Confirmatur 2^o. ex opposita sèntentia sequuntur multa absurda, 1^o. quòd posset creatura existere, quæ tamen nec esset distans; nec indistans positivè ab ullo corpore mundi: 2^o. quæ nec esset extensa, nec inextensa positivè: 3^o. posset esse corpus, quod nec haberet partes extra partes, id est diverso loco positas, nec intra partes, id est in eodem loco penetrativè positas; item, quod nec intra, nec positivè extra mundum esset existens: ratio est, quia hæc omnia fundari debent in ubi seu existentia in loco aut præsentia locali, ut consideranti patebit, ergo, &c.

xII. Hæc absurda (nescio quo famelico appetitu) devorant, Vasq. Phys. disp. 118. Ovid. Phys. contr. 15^o. Moncæus, Mæratius, Poncius, & alii; illa autem respiciunt Suarez, Arriaga, & omnes alii communissimè, dicentes creaturam posse quidè existere sine omni ubi distributivo, non tamen sine omni collectivo; sed & contra hos hæc stat ratio; ubi productio est naturâ posterior creaturâ productâ in horum sèntentiâ, ergo potest creaturâ productâ, ubi productio impediri.

xIII. Adde ex opposita sèntentia sequi & aliud absurdum; quod devorare non potuit P. Ovidius, debet tamen, velit nolit: sequitur enim dari posse creaturam aliquam, quæ non sit Deo præsens positivè, cuius contrarium esse veritatem catholicam colligitur ex Vasquez 1^o. p. disp. 28^o. cap. 4^o. Deus enim (utpote immensus) est penetrativè in omnino, & è converso omne ens penetrativè in ipso; quia non videtur unum intelligi posse sine alio: quod autem id sequatur, sic probo; vel illa creatura esset Deo positivè præsens per ubi superadditum, vel per suam entitatem? non primum; quia supponitur per Deum impediri omne ubi superadditum: neque etiam per suam entitatem; quia sicut creatura à Deo solo pendet per productionem realiter à se distinctam, licet Deus sit ex essentia sua determinatus, ut illam habeat à se dependentem, eò quòd sit indifferens ut à Deo solo, vel Deo simul & creatura pendeat; ita Deo soli præsens esse debet per ubi realiter à se distinctum, licet Deus sit ex natura sua determinatus ut illi præsens sit & eam penetret; eò quòd sit indifferens ut Deo soli, vel Deo simul & creaturæ (ut fatetur) præsens sit. Hinc sèntentia nostræ opposita, meritò alicui videri posset minus tuta.

xIV. Objicies 1^o. præsentia, quam post motum habet mobile cum loco extrinsecò, oportet assignare fundamentum existens; sed illud non potest esse aliud, quàm ubi productum per motum, ergo, &c. Probatur minor, quia illud non potest esse locus & locatum; quia possunt esse, & non esse præsentia; nec etiam motus; quia, vel non est primo instanti, quo res ubicatur, vel pro aliis instantibus, quibus res ubicatur, transit, & ipso instanti, quo transit, potest locatum à Deo aliò transferri, ergo, &c.

xV. Respondeo eò necessà majore, negando minorem; ad ejus probationem distinguo assumptum pro secunda parte, illud non potest esse motus quatenus desertio terminorum à quo, sive quatenus acquisitio terminorum, quos acquisivit, & deseruit, concedo assumptum; ratio est, quia ut sic transit, & non existit: quatenus acquisitio hu-

jus termini ad quem & adductio præcisè ad hunc locum, qui perseverat & permanet, nego assumptum; is enim non transit, sed perseverat donec mobile aliò moveatur; quia de motis partibus, eodem modo philosophandum est, ac in sèntentia adversariorum de productionibus plurium ubi successivè, è quibus ultimi ubi productio remanet: hinc, ad istius assumpti probationem, distinguo assumptum pro prima parte; vel non est productio rei ad nova loca, concedo assumptum; prout est adductio rei ad primum locum, nego assumptum. Ex his

xVI. Collige motum, ut est adductio rei ad primum locum, posse naturaliter fieri in instanti; quia non est necessarium, motum localem semper præsupponere terminum à quo positivum, magis quàm sit necesse localem motum semper dicere terminum ad quem positivum; sicut enim finis motus localis non dicit terminum positivum, ita nec initium motus localis dicit necessariò terminum à quo positivum; non potest tamen naturaliter fieri in instanti ut adductio ad plura loca; quia res nequit esse naturaliter in pluribus locis.

xVII. Objicies secundo, omnis motus realis debet habere terminum à se realiter distinctum; sed motus localis est talis; ergo habet terminum realiter à se distinctum, qui commodissimè assignatur ubi; probatur major, in calefactione, frigeactione, ignitione, &c. ergo, &c.

xVIII. Resp. negando majorem; contrarium enim patet in actibus vitalibus, unionibus modorum, &c. quæ sunt sui ipsius productio: ad probationem autem majoris, Respondeo esse disparitatem; quia scilicet calefactio, frigeactio, ignitio, &c. nullo sensu percipiuntur; nam experientiâ non scimus, an frigus, calor, ignis, &c. à solo Deo producta sint, an à sola creatura; termini verò earum productionum, ut frigus, calor, ignis, &c. aliquo sensu percipiuntur; unde, ne de eodem verificentur contradictoria, scilicet percipi, non percipi aliquo sensu, dicendum est, illas actiones habere terminos à se realiter distinctos; & idem dicendum consequenter de productione cuiuslibet entis non modalis perfectioris; nam si hæc imperfectiora possint pendere & non pendere ab hoc suo principio creato, à fortiori poterunt perfectiora; quia verò ubi nullo sensu percipitur magis quàm ejus productio, ut videbimus infra, & imperfectius est calore, frigore, &c. non habemus fundamentum dicendi, quòd à sua actione, seu motu locali, realiter distinguatur.

xIX. Objicies 3^o. Aristoteles lib. 6. Physic. dicit motum localem terminari ad ubi, sicut alteratio terminatur ad qualitatem; sed alteratio terminatur ad qualitatem tanquam terminum realiter distinctum; ergo & motus localis ad ubi tanquam ad terminum realiter distinctum.

xx. Respondeo Aristotelem solum velle loco citato, tam haberi ubi per motum localem, quàm habeatur qualitas per alterationem; alioqui enim hîc contradiceret loco supra n. 10. citato; neque ly sicut potest intelligi de scititate quoad modum producendi; alioqui, contra experientiam & ipsos adversarios, verum esset, motum localem terminari ad ubi tanquam formam, subjectum intrinsecè sensibilibiter mutantem, sicut alteratio terminatur ad qualitatem tanquam formam subjectum intrinsecè sensibilibiter mutantem; cur enim

minùs hoc modo explicarem illud *sicut*, quàm modo nobis objecto.

xxi. Objicies quarto, non est ratio, cur potius ubi identificetur motui locali, sive adductioni ad locum, quæ sit à causis rei, quæ ubicatur, quàm res productioni; sed huic non identificatur, ergo, &c. Probatur minor, quia ubi productum successivè est successivum; prima autem reproductio, ex præmissis à nobis supra, est permanentis, ergo, &c.

xxii. Respondeo negando assumptū; tum propter rationem, quæ adfertur pro probatione minoris, juxta quam prima rei productio manet eadem, licet res mutetur quoad locum; tum quia alioqui nihil naturaliter unum locum mutare posset in alium, magis quàm se producere possit, aut unam sui productionem in aliam mutare, quod non posse, est in confesso apud omnes, alioqui Angelus se creare posset, ut consideranti patebit.

xxiii. Objicies 5^o. existentia formalis in tempore, sive duratio, non distinguitur realiter à rei productione, vel saltem à re existente & tempore; ergo neque existentia formalis in loco ab Angeli productione, vel saltem ab Angelo existente & loco.

xxiv. Respondeo 1^o. 2^{um} quidem partem assumpti esse veram; nam ideo, quia non est possibile nisi unum tempus simul, per hoc quod æternitas Dei existit & dies hodierna præcisè, Dei æternitas ei coexistit, & indifferentia, quam habet ad coexistendum diei crastinæ vel hodiernæ, tollitur, sine alio superaddito: unde etiam creatura per hoc quod existit & dies hodierna præcisè ei coexistit, & indifferentia, quam habet ad coexistendum diei crastinæ vel hodiernæ, tollitur, sine alio superaddito, quod tantò verius esse debet quòd *ly existens* præfixum, dum existit tempus, v. g. dies hodierna, non possit accipi neutraliter sive abstrahendo ab existente nunc vel tunc; quia ipsum tempus existit, quòd *ly existens* formaliter determinatur ad esse verbum, ut patet ex æternitate Dei ad hodiernam diem comparata: unde nonnulli, qui durationem identificant productioni rei, non satis cauti, suam deferendo, & nostram amplectendo sententiam, dicunt *rem existere*, sive *res existit*, propriè esse aliquid præsentis temporis, nec rectè dici aliquid actu existere, quod præsentis tempore non existit.

Respondeo secundo primam partem assumpti esse falsam, 1^o. quia non est ratio, cur potius rei productioni, quàm rei existenti & tempori existenti duratio identificetur; nam sicuti, si existit productio rei & tempus, ei coexistit productio rei, quia non potest esse nisi unum tempus simul; ita si existit res (sub qua etiam numeratur productio; ut tantò clariùs disparitatis ratio deficiat) ei coexistit res, quia non potest esse nisi unum tempus simul; vel, sicuti hoc ipso quòd productio rei existit, durat (ut alii loquuntur) uno instanti simul, ita hoc ipso, quòd res existit, uno instanti durat simul, ob rationem à nobis allatam: secundo, quia, vel volunt durationem identificari productioni existenti soli, vel simul productioni & tempori; si 2^{um}, non est ratio cur minùs tempori, quàm rei productioni identificetur, ac proinde malè dicunt rei productioni identificari; 1^{um} autem est falsum, quia esset hic sensus, productio rei existit, & non existit tempus, quod puto involvere

contradictionem ob præmissa. 3^o. quia sic (quod voluit) rei conservatio esset essentialiter successiva, cur autem potius quàm res conservata? non dicunt; & cum adstruant consequenter eam continuò mutari, pro rei cujuslibet conservatione (saltem absente ejus causà creatà) ad Deum conservantem unicum sine necessitate recurrere debent, quod est absurdum. Vnde dissimulatò assumptò, ad consequentiam,

xxv. Respondeo esse disparitatem, in eo, quòd, quia simul existere possunt plura loca, quorum uni Angelus coexistere possit formaliter, ita ut alteri non coexistat, existentia formalis in loco ab ipso & loco realiter distinguitur; è contra verò, quia simul existere non possunt plura tempora, quorum uni Angelus coexistere possit, ita ut alteri non coexistat, existentia formalis in tempore ab Angelo & tempore realiter non distinguitur.

DUBIUM III.

Quot sint ubi in corpore, sive quibus corporis partibus competat ubi proprium.

RESOLUTIO.

xxvi. **D**ico, non est nisi unum ubi materiæ, vel substantiæ (si basis) eorum omnium, quæ existunt in materia vel substantia ut suo subjecto naturali informationis. Est contra Suarezem, Rubium Tract. de loco q. 6^a. qui alibi contrarium docuerat, Arriagam, Oviedum, Averlam, Poncium, &c.

xxvii. Probatur, quia unum sufficit, ergo, &c. probatur antecedens, quia juxta Arist. hic lib. 4^o. text. 32^o. *ea, quæ sunt in corpore, ut albedo, scientia, &c. nec moventur, nec sunt in loco per se, sed per accidens, ratione ejus in quo sunt.* Cur autem materia dicatur esse in loco per se & non per accidens, vel è contra cur formæ dicantur esse in loco per accidens & non per se: Ratio est, quia materia per se movetur utpote subjectum universale omnium formarum, ac per consequens motus; formæ verò per accidens, & propter unionem ad subjectum, quod per se movetur: cum eo tamen stat, quòd illæ formæ supernaturaliter extra omne subjectum conservatæ, sint in loco per se; quia ut sic virtute divinâ, induunt quodammodo naturam mobilis per se, ut patet.

xxviii. Confirmatur 1^o. sicut formæ sunt tantum & sufficienter quantæ naturaliter per accidens & quantitate ipsius materiæ, ita sunt tantum & sufficienter ubicatæ, sive in loco naturaliter per accidens & ubicatione ipsius materiæ: vel sic, sicut ad esse quantum quantitativè formis sufficit illas esse materialiter & ratione quantitatis subjecti determinatas, ita ad esse ubicatum in formis sufficit illas esse materialiter & ratione ubicationis materiæ determinatas; nec plura ubi materiæ & formarum videntur naturaliter possibile, quàm plures quantitates materiæ & formarum, ob eandem rationem.

xxix. Confirmatur 2^o. impossibile est formas illas existere in materia ut subjecto suo naturali informationis existente hic, & non esse hic; ergo ubi materiæ sufficit ut sint hic, & cetera superfluum, & sine necessitate multiplicantur.

Dices

xxx. Dices ponatur materia illa hic & etiam Romæ, omnes formæ illæ existent in materia existente Romæ; quia illa est eadem cum materia hic existente; sed non propterea omnes illæ formæ erunt Romæ; quia suppono illas non esse Romæ replicatas, sed solam materiam; ergo possunt omnes illæ formæ existere in materia existente Romæ, & non esse Romæ; ac proinde & in materia existente hic, & non esse hic.

xxx. Respondeo distinguendo majorem, omnes illæ formæ existent in materia tanquam subiecto suo naturali informationis existente Romæ, nego majorem; existent in materia secundum entitatem existente Romæ, concedo majorem: sed hinc nihil contra nos, quia non volumus omnes formas illas sufficienter ubicari (quod volunt Vasquez, nostri Complutenses, Rubius, Albertinus, &c.) per unum ubi materiæ præcisè secundum entitatem spectatæ, quomodo argumentum habet vim, sed per unum ubi materiæ spectatæ tanquam subiectum naturale informationis istarum formarum, quomodo dicit esse ubicarum tali ubi naturali particulari & determinato per modum conditionis sine qua non & informationem materiæ ut tali ubi ubicaræ per modum conditionis, &c. nam informatio est unio formæ ad materiam, non ubicumque existentem, alioqui positâ informatione materiæ hic, postea reproductâ solâ materiâ in centum locis distinctissimis, poneretur & in illis informatio, quod meritò contra varios reputatur absurdum; sed existentem in priori naturæ in determinato hoc naturali loco (ut fateri debent omnes) in quo non importatur ubi formarum ab ubi materiæ realiter distinctum; quia ipsa informatio (saltem in formis materialibus) esteductio formarum ab ubi realiter distincta, & in sententia adversariorum prior naturâ ipso ubi formarum.

xxx. Instabis, positâ materiâ in duobus locis v. g. Gandavi & Romæ, anima mea est indifferens ut sit Romæ, vel Gandavi, vel in utroque loco; ergo debet ad unum locum præ alio determinari per ubi proprium.

xxx. Resp. materiam, vel simul & semel, ante informationem animæ, positam Gandavi & Romæ, vel positam Romæ post informationem ab anima Gandavi factam? si 1^{um}, erit ipsius generantis, sive materiæ hic vel Romæ ad unionem cum anima disponentis, determinare subiectum informationis animæ; si enim tantum agat in materiam hic existentem, anima erit hic tantum; si utrobique (quod per divinam potentiam fieri potest) anima erit Gandavi & Romæ per adductionem ad materiam utrobique existentem tanquam subiectum illius informationis: si 2^{um}, solum erit Gandavi, quia materia Gandavi tantum erit ubi subiectum naturale informationis illius.

xxx. Objicies 2^o. formæ tam sunt in loco, quam materia, nec minus sunt capaces ubi distincti, & adduci ad alium locum, quam materia, ergo, &c. Probatum antecedens, quia alioqui si divinitus conservarentur destructâ materiâ, non essent amplius in loco, nec possent habere ubi distinctum, aut adduci ad alium locum, quæ videntur absurda, ergo, &c.

xxx. Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte, formæ tam sunt in loco per accidens, quam sit materia per se, concedo antecedens; tam sunt in loco per se, nego antecedens: pro se-

cunda item parte distinguo antecedens, nec minus sunt naturaliter capaces ubi distincti, &c. quæ materia, nego antecedens: supernaturaliter, quomodo cessant esse in subiecto naturali informationis, concedo antecedens: sed id fit, quia tunc induunt quasi naturam subiecti informationis, quod solum per se habet ubi distinctum ac solum per se movetur & adducitur ad alium locum, & cætera per ipsum.

D V B I V M IV.

An plura corpora possint simul occupare eundem locum, vel e contra, unum plura loca simul.

Ante Resolutionem, xxxvi. Suppono ex probandis in libris de gener. & corrupt. rarefactionem aliter fieri non posse, quam per expenetrationem partium corporis rarefactibilis, ac proinde, cum rarefactio fiat naturaliter, unumquodque corpus rarefactibile tot habere partes penetratas, quot per rarefactionem potest habere expenetratas: unde consequenter dicendum quantitatem (sive materiam primam, in nostra sententia, quæ negat quantitatem realiter distinctam) esse quidem exigentiam partium suarum extra partes, sed non ultimò determinatam ad tot, vel tot partes extra partes, eo à sola forma & dispositionibus ad formam proveniente: sic enim dicitur in sententia adversariorum docentium rarefactionem fieri à raritate qualitate, quantitatem esse determinatam ad extensionem localem, sed non ultimò ad tantam vel tantam; ad tantam vel tantam autem determinari debere per raritatem, vel densitatem: quare sicut in sententia ipsorum materia accedente raritate vel densitate habet tantam vel tantam extensionem localem, ita in nostra accedente formâ, & ad illam dispositionibus, materia habet tot vel tot partes, extra partes, pro sua majori vel minori rarefactibilitate: hinc cū definitur quantitas exigentia partium extra partes cum impenetrabilitate, definitio intelligi debet de exigentia partium secundum se indeterminatarum, & ultimò determinabilium à forma, & eisdem dispositionibus, ad esse tot, vel tot, extra partes; ut sit hic sensus, quantitas est exigentia partium ultimò indeterminatarum, & ultimò determinabilium à forma, & dispositionibus, ut sint tot, vel tot, extra partes, cum impenetrabilitate naturali. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

xxxvii. **D**ico 1^o. substantiæ corporeæ completæ sublunares, non possunt naturaliter, saltem citra condensationem, simul occupare eundem locum.

xxxviii. Probatum, quia videmus, & experientia comprobatur, omnes substantias corporeas completas sublunares, etiam tenuissimas, ut aërem & aquam, se mutuo ab eodem loco expellere, & oppositum miraculo tribuitur, ergo, &c.

xxxix. Dixi sublunares, quia de celestibus nulla est experientia, aut similis certitudo; forte enim dici posset, astra errantia coelos penetrare, ita nonnulli, quod examinabimus in libris de Cælo.

xl. Objicies, scyphus plenus aquâ admittit ulterius aliquos nummos, absq; effusione aquæ; item vas cribratis cineribus plenum, tantundem aquæ recipit, quâ si omnino esset cineribus vacuum, ergo, &c.

Respondeo

XLII. Respondeo negando consequentiam, ad 1^{am} verò experientiam de nummis in scyphum aqua plenum injectis, dico aquam intumescere in medio scyphi, & sic occupando locum in aere, quem ante non occupabat, facere locum nummis; quòd autem aqua potius non effluat, sit, quia superfluentia prohibetur à siccitate labiorum scyphi; quòd colligitur ex eo, quòd si madesiant labra scyphi, statim effluat: ad 2^{am} verò, dico imprimis falsum esse vas illud tantum aquae cineribus cribratis plenum continere, quantum vacuum; deinde quòd id aquae contineat, fieri; tum quia multi cineres evaporantur; tum quia cineres naturae leves plurimas habent cavitates, quae replentur aqua.

RESOLUTIO II.

XLIII. Dico 2^o, substantiae corporeae completæ sublunares, possunt, &c. citra condensationem supernaturaliter simul occupare eundem locum: est communis contra Paludanum in 4. dist. 44. quæst. 3^a. & Durandum ibidem quæstionum 6^a.

XLIII. Probatur, cum Christus egressus est ex utero virginis, aut sepulchro, & cum ingressus est ad discipulos januis clausis; vel penetravit uterum virginis, & sepulchri lapidem ac januas; vel transiit de extremo ad extremum sine medio: non hoc 2^{um}, quia hic transitus difficilius intelligitur, quam ipsa penetratio dimensionum, quarum aliqua est naturalis, ut patet ex supposito ante primam conclusionem; nec est ratio, cur potius hic agnoscatur contra communem Sanctorum Patrum sententiam & interpretationem, quam illa penetratio; ergo 1^{um} dici debet, ex quo sequitur intentum, eritque hæc penetrandi supernaturalis vis, una ex dotibus corporum glorificationum; juxta D. Thomam 1^a 2^a & Theologos post ipsum.

XLIV. Confirmatur 1^o Resolutio, substantiae corporeae completæ sublunares, non magis pugnant in ordine ad existendum simul in eodem loco, quam duæ qualitates contrariæ in summo in ordine ad existendum simul in eodem subjecto; sed hæc possunt simul supernaturaliter existere in eodem subjecto; ergo & illæ simul in eodem loco.

XLV. Confirmatur 2^o, potest unum corpus simul existere supernaturaliter in duobus locis adæquatis; ergo & duo in uno: Probatur consequentia; quia non est major repugnantia in uno, quam in alio.

RESOLUTIO III.

ANTE Resolutionem
XLVI. Suppono 1^o, modum existendi in loco posse assignari triplicem, videlicet definitivè, circumscriptivè & sacramentaliter: existere autem definitivè in loco, est locatum respondere totum toti loco, & totum cuilibet parti loci, sic Angelus existit in loco: circumscriptivè vero, est locatum respondere totum toti loco, & secundum quamlibet sui partem tantam cuilibet parti loci, sic existit omne corpus naturaliter in loco: Sacramentaliter denique existere in loco, est illud, quod naturaliter circumscriptivè existit in loco, virtute Divinâ, seu potius vi verborum, formarum Sacramenti Eucharistici,

R. P. Francisci Bonæ Spei Physica.

existere definitivè in loco, sic Corpus Christi, existit in Eucharistia.

XLVII. Suppono 2^o, naturaliter fieri non posse ut idem corpus sit in duobus diversis, vel duobus consimilibus adæquatis locis, naturaliter; id enim omnino exigit limitatio creaturæ; & alioqui, si posset in duobus, posset in mille simul, contra experientiam: potest tamen supernaturaliter idem corpus esse in pluribus locis adæquatis Sacramentaliter, ut constat de Corpore Christi in pluribus hostiis consecratis existente; imò & semel circumscriptivè, & pluries sacramentaliter, ut etiam constat de eodem Corpore Christi circumscriptivè existente in cælo & pluries sacramentaliter in pluribus hostiis consecratis; & hæc fide Divinâ constant; unde sola difficultas restat, an idem corpus possit supernaturaliter esse circumscriptivè simul in duobus locis adæquatis. Pro qua

XLVIII. Dico 3^o, unum & idem corpus potest supernaturaliter simul existere in duobus locis adæquatis circumscriptivè, ita Alensis 4. p. q. 11. art. 1^o. Richardus in 4. dist. 10. art. 2. quæst. 2. Okam in 4. quæst. 4. Dub. 6. Major in 4. dist. 10. q. 4. idem docet Alanus l. 1. de Sacram. Euchar. f. 1. numer. 12. Sotus lib. 4. Phys. & in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. Bellarm. tom. 3. f. 3. de Euchar. c. 3. in fine. Suar. tom. 3. in 3. p. dist. 44. f. 4. Valent. tom. 4. dist. 6. q. 3. p. 1. n. 2. Cardinalis de Lugo dist. 5. de Euchar. f. 1. num. 12. Coninck 3. p. q. 75. art. 4. ad 3^{um}. Hurtad. Disp. 14. Phys. sect. 5. Arriaga Disput. 14. Phys. sect. 8. subf. 2. Oviedo cont. 15. Physic. p. 9. Conimb. l. 4. Phys. cap. 5. q. 5. art. 2. Rubius lib. 4. Phys. Comptonus Disp. 35. Phys. sect. 3^a. & alii; contra S. Bonaventuram in 4. dist. 49. part. 25. art. 3. q. 1. in Solutione ad 3^{um}. Durandum in 4. dist. 10. q. 5. num. 30. & 31. Henricum quodlib. 9. q. 32. Palud. in 4. dist. 10. q. 1. Capreolum in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. & Recentiores ferè omnes Thomistas: quos sequitur Vasquez 3. p. dist. 189. c. 5.

XLIX. Prob. 1^o, mirabilius est idem esse in duobus locis adæquatis sacramentaliter, aut in uno sacramentaliter & in alio definitivè, quam in duobus locis adæquatis circumscriptivè; sed posse esse in istis duobus adæquatis supernaturaliter est de fide; ergo & esse posse in his duobus adæquatis, est omnino fidei conforme. Probatur major, quia modus existendi circumscriptivè est naturalis, & si in duobus locis, tantum supernaturalis quoad incompatibilitatem cum altero loco naturali: modus verò existendi sacramentaliter non est naturalis; sed supernaturalis, & secundum se, & propter incompatibilitatem cum altero, ergo, &c.

L. Confirmatur, intelligibilius est, & minus contra naturam quantitatis, rem duobus in locis existere extensè & circumscriptivè, prout exigit in loco esse, quam semel extensè, & semel inextensè, quod est contra ejus naturam, utpote ubique exigens partes extra partes.

LI. Nec dicas hinc fore, ut corpus sit circumscriptivè in uno loco, & non sit circumscriptivè, in eo, quia non circumscriptivè loco, utpote extra illum existens: item sequi corpus fore in duobus locis adæquatis, & non fore in duobus locis adæquatis, quæ sunt contradictoriè pugnantia & in intelligibilia.

LII. Contra enim est, quòd circumscribi loco, vel esse circumscriptivè in loco; vel sit rem ita esse in loco, ut non sit in omni alio loco? & hoc est hæreticum,

P tium,

ticum, ut patet ex supposito 2^o: vel rem ita esse in loco, ut non sit in alio circumscriptivè? & hoc ipsum est de quo disputatur, & quæritur ratio, cur ita explicari debeat esse circumscriptivè in loco; si enim esse circumscriptivè in loco sit ita rem esse in uno loco circumscriptivè ut non sit in alio circumscriptivè; Corpus Christi esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia, erit ita Corpus Christi esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia, ut non sit in alia circumscriptivè sacramentaliter, quod meritò putabitur hæreticum; ne autem sit abusus in terminis, attende per esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia, me nihil aliud velle, quàm quòd Corpus Christi sit ita in una hostia ut totum (scilicet ex singulis ejus partibus existentibus in toto, quatenus singulis partibus hostiæ respondet) toti hostiæ respondeat, & secundum quamlibet partem sui (ut inclusam in toto, quatenus cuilibet parti totum respondet) cuilibet parti hostiæ: unde per esse circumscriptivè in loco, nihil aliud intelligi debet, quàm corpus ita esse extensum loco, ut totum toti, & quælibet ejus pars cuilibet parti loci respondeat; per locum verò adæquatam intelligi debet locus ambiens totum locatum, sive sit locus alibi corpus afficiens circumscriptivè, definitivè, aut sacramentaliter, sive non: quia sicut totum per hoc quòd sit pluries totum non desinit esse totum, ita nec locus circumscriptivus, aut adæquatus, desinit esse circumscriptivus, aut adæquatus, per hoc quòd sit pluries circumscriptivus aut adæquatus: Ratio est, quia sicut totum est indifferens ut sit semel, vel pluries totum, ut constat ex Angelo respectu suæ spheræ localis, & ex Corpore Christi respectu hostiæ & cœli, ita est indifferens ut sit pluries vel semel adæquatè productum, circumscriptivè aut adæquatè locatum.

LIII. Probatur 2^o, in Ecclesia Dei satis receptum est, imò & in breviario Romano ac Sanctorum legendis à diversis Pontificibus approbatum & relatam, varios sanctos simul fuisse circumscriptivè in diversis locis, ut de S. Ambrosio, quòd simul Mediolani & Turonii funeribus Sancti Martini adfuerit: item de S. Dragone, de S. Antonio de Padua, &c. sed hæc non debent aliter explicari quàm verba sonent, nisi adferatur implicantia in contrarium, ergo, &c.

LIV. Confirmatur solutione fundamentorum oppositæ sententiæ, quæ à Catholicis everti debent, vel propter hoc tantum, quòd hæretici illis utantur, ut defendant, contra fidem Catholicam, Corpus Christi non esse in singulis hostiis, ergo, &c.

LV. Objicies 1^o, idem nequit esse simul in pluribus temporibus, ergo nec simul in pluribus locis circumscriptivè.

LVI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in existentiam in pluribus locis definitivè, idem nequit esse in pluribus temporibus, ergo nec in pluribus locis definitivè; consequentia est hæretica.

LVII. Respondeo 2^o, concedendo totum, proportionaliter sumendo ly simul in antecedente & consequente, ut sit hic sensus, Idem nequit simul simultate temporis esse in pluribus temporibus extra positus; ergo nec idem simul simultate loci esse in pluribus locis extra positus; nam sicut plura tempora extra

posita non possunt etiam divinitus intra poni & facere unum tempus; ita nec plura loca extra posita possunt, etiam divinitus, intra poni & facere unum locum.

LVIII. Objicies 2^o, idem non potest esse à seipso discontinuum, à seipso distare, &c. sed si corpus posset esse in duobus locis circumscriptivè, id fieret, ergo, &c.

LIX. Respondeo negando minorem, & inprimis illam retorqueo in duo loca sacramentaliter & definitivè: deinde per te unitas loci respectu diversorum non facit duo diversa esse unum continuum; ergo nec diversitas loci facere debet unum & idem esse duo discontinua; sicut enim unum & idem sub reduplicatione superadditi realiter distincti est à seipso diversum, ut v. g. faccarum ut album à seipso ut dulci; ita unum & idem potest esse à seipso discontinuum, à seipso distare, &c. sub reduplicatione loci discontinui aut distantis; sic Sanctus Ambrosius Mediolani existens erat à seipso ut Turonii existente discontinuus & distans; Ratio est, quia id non est Ambrosium esse à seipso discontinuum & distantem simpliciter, sed locum à loco, Mediolanum à Turonio.

LX. Objicies 3^o, ex hac conclusione sequitur locum fore, & non fore æqualem locato; item locatum adæquari & non adæquari loco; sed hæc contradictoriè repugnant, ergo, &c. Probatur major, erit æqualis, ut supponitur; & non erit, quia duo loca sunt uno, qui est æqualis, majora, &c. item locatum loco adæquabitur, ut supponitur, & non adæquabitur, quia habebit aliquid extra.

LXI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in totum pluries productum; sequitur totum simul productum fore totum, & non fore totum; erit totum, ut supponitur, & non erit totum, quia habebit adhuc aliquid producendum: ita retorqueri potest & in Corpus Sacramentaliter & definitivè existens in pluribus locis, ut consideranti patebit.

LXII. Respondeo 2^o, negando antecedens pro 2^a parte; nam nec duo loca sunt majora duobus corporibus locatis, nec duo locata habent aliquid extra duo loca; in proposito verò locatum se habet per modum duorum locatorum: vel dic clarior, locum unum fore semper æqualem semel locato, & loca duo semper æqualia 2^o locato; & similiter locatum semel semper adæquari uni, & locatum 2^o semper adæquari duobus locis.

LXIII. Objicies 4^o, ubi una tantum ratio occupandi locum circumscriptivum, unus tantum locus circumscriptivus; sed in uno tempore est una tantum talis ratio, quia una quantitas tantum, quæ est talis ratio, ergo, &c.

LXIV. Respondeo distinguendo majorem, ubi una tantum ratio radicalis occupandi locum circumscriptivum, (qualis est quantitas) unus tantum locus circumscriptivus; si etiam una tantum formalis, id est si unum etiam tantum ubi circumscriptivum, uti unum tantum est naturaliter, concedo majorem; si plures formales, uti esse possunt, ut contendimus, nego majorem, distingue proportionaliter minorem.

D V B I V M V.

Per quam actionem ponatur res in pluribus locis; an per adductivam; an per reproductivam; an per utramque simul.

ANte Resolutionem
 LXV. Suppono actionem adductivam esse motum localem, quo res ponitur in loco; reproductivam verò motum effectivum, quo res ponitur in esse: posse autem rem poni in duobus locis per actionem adductivam simul & reproductivam, soli negant, qui negant rem posse produci per duas actiones totales; & ita de facto Corpus Christi poni in venerabili Sacramento, quia ibi ponitur per transsubstantiationem, probabilius docebimus in libris de generatione. Hoc supposito, fit

R E S O L U T I O.

LXVI. **D**ico, ut res ponatur in pluribus locis, sufficit sola actio adductiva ad 2^{um} locum, sive motus localis ut est adductio ad 2^{um} locum; reproductiva verò, nec requiritur, nec sufficit.

LXVII. Probatur 1^a & 2^a Pars; quia ad ponendum novum ubi in corpore nulla reproductio requiritur, ut patet; tum ex 2^o loco acquisito per motum localem & extensionem animæ rationalis ad partem corporis adgeneratam; tum ex existentia Angelorum & animæ rationalis in pluribus locis; ergo sola adductio ad 2^{um} locum sufficit ut res ponatur in pluribus locis.

LXVIII. Confirmatur 1^o, ut res existens sub uno contrario, etiam sub alio existat, sola coeductio alterius contrarii ex ipsa, sive subiecto, sine reproductioe ipsius, sive subiecti, sufficit, ut omnes faterentur; ergo similiter ut res existens in uno loco, etiam existat in alio, sola rei adductio ad alterum locum sine reproductioe rei sufficit: consequentia tenet à pari, quia duo loca se habent ad eandem rem, sicut duo contraria in summo ad idem subiectum, ergo, &c.

LXIX. Confirmatur 2^o, positis albedine & nigredine in subiecto semel producto, subiectum est album & nigrum; quia albedo est ratio formalis albi, & nigredo ratio formalis nigri; ergo similiter positis ubi Gandensi & ubi Romano in re semel producta, res erit Gandavi & Romæ; quia ubi Gandense est ratio formalis existendi Gandavi, & ubi Romanum, ratio formalis existendi Romæ; ergo ut res ponatur in pluribus locis, sufficit sola actio adductiva ad 2^{um} locum; reproductiva verò non requiritur.

LXX, Probatur 3^a Pars, quia reproductio quantum est de se, indifferens est ut sit hic, vel ibi, quod maxime verum est in nostra sententia, quæ docemus actiones rerum permanentium productivas non minus esse permanentes, quam res ipsas; ac proinde illas conservari ab eisdem omnino causis, à quibus primò productæ sunt, quod alioqui falsum esset; quia ad mutationem eujusque loci deberent perire, quod est nimium inconveniens; ac multiplicare entia sine necessitate, & ad Deum, ubi causa creata suppetit, sine iudicio recurrere; ergo non potest esse ratio formalis essendi in pluribus locis: Antecedens patet; probatur consequentia; quia po-

test esse rei reproductio in eodem loco, quæ enim repugnantia? ergo, &c.

LXXI. Confirmatur; cum quæritur an res aliqua possit reproduci, nullus quæstionem istam hoc sensu intelligit, an res aliqua possit aliud transferri, sed hoc sensu, an res aliqua, quæ desit simpliciter, possit iterum produci, sic ut accipiat novum esse simpliciter, ergo, &c.

LXXII. Objicies ex P. Coninck de Sacram. q. 75. art. 4^o. Dub. 3^o. si Deus vellet Petrum Gandavi existentem, Romæ etiam in instanti ponere, non posset per solam adductionem; nam, vel illa terminari deberet ad Petrum ut existentem Gandavi, vel ad Petrum ut existentem Romæ? non 1^{um}, quia alioqui ubi Romanum deberet esse Gandavi, quod implicat: nec etiam 2^{um}, quia alioqui Petrus esset Romæ antequam esset Romam adductus, ut patet, ergo, &c.

LXXIII. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in ubi animæ rationalis, quod habet in parte pedis postea adgenita; vel adductio animæ ad pedem terminatur ad animam ut existentem in capite, vel ad animam ut existentem in pede, secundum locum partis adgenitæ? non 1^{um}, &c. ut supra in argumento, proportionaliter.

LXXIV. Respondeo 2^o, negando antecedens; ad ejus probationem Respondeo adductionem terminari ad Petrum ut existentem præcisè, abstrahendo ab eo, quòd sit hic, vel ibi, non secus ac ipsa rei productio & reproductio, quam ex natura sua imitatur, remque naturà præcedit non secus ac ipsa.

LXXV. Adde hoc argumentum mihi videri difficile in sententia Suarez, Hurtadi, Arriagæ, Oviedi, Poncii & aliorum docentium, ubi esse formam rei jam productæ supervenientem, & illa posteriori naturà. Ratio difficultatis est; quia in sententia ipsorum res producta se habet ut subiectum informationis ad ubi; nihil autem potest esse subiectum informationis, quod non est in determinato loco; quia alioqui non est cur anima Romæ tantum existens, non posset informare subiectum Gandavi tantum existens.

LXXVI. Respondebunt, nihil quidem posse esse subiectum informationis, quod non est in determinato loco, si non sit subiectum informationis ipsius loci seu ubi, bene autem quatenus subiectum informationis ipsius ubi seu loci; quia ut sic sufficit illud esse consecutivè in determinato loco. Sed

LXXVII. Contra, quòd subiectum informationis prius naturà, quam informetur formà intrinsecà, debeat esse in loco determinato, non provenit ex specie ipsius formæ, quòd v. g. forma sit ubi, vel non sit ubi; ut malè hic supponitur; sed ex natura unionis subiecti ad formam ut formam, abstrahendo, an sit talis, vel talis, ubi, vel non ubi, quæ ratio formæ includitur in ubi quia intelligi non potest formam ut formam (quæcumque illa sit, nam ut forma, & non ut forma talis, dicit respectum transcendentalem ad subiectum informationis) informare & advenire intrinsecè subiecto prius producto, sed nullibi prius producto, prius existent, sed nullibi prius existenti quod tamen admittere debent; secus nos, qui identificamus ubi adductioni ad locum, quæ indivisibiliter concomitatur productionem rei, & sicut hæc est naturà prior re, ita illa: unde sicut optimè intelligitur 1^{um} motum seu 1^{am} adductionem esse ad rem non ut 2^o ubi existentem, non secus ac 1^{am} productionem, ita

optimè intelligitur 2^{am} adductionem esse ad rem non ut alibi existentem, non secus ac reproductionem, quia rem secundum se afficiunt. Hinc

LXXVIII. Colliges, in nostra sententia Deum posse Petrum Gandavi existentem transferre, seu sistere in instanti Romam, sic ut non transeat per spatium medium; quia adductio ad 2^{am} locum terminatur ad rem secundum se, ut statim dixi; potest autem 2^a adductio esse in instanti, non secus ac 1^a adductio: aut 1^a rei productio; hæc autem mihi videntur difficilia in sententia aliorum citatorum, quod tamen ex eorum sententia sequitur: unde multò mihi fit probabilior nostra sententia, videlicet, quòd ubi non possit se habere ad rem per modum formæ posterius naturâ informantis, sed solum per modum actionis prius naturâ rem moventis, eo modo quo actio productiva rei.

D V B I V M V I.

Quanam forma consequerentur subjectum replicatum, sive adductum ad 2^{am} locum.

ANte Resolutionem
LXXIX. Suppono simul cum subjecto semper replicari productionem ipsius subjecti; quia replicatio, sive adductio subjecti, indivisibiliter afficit subjectum & productionem subjecti; nam res & fieri rei, sive res & productio eius, se indivisibiliter concomitantur. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

LXXX. **D**ico 1^o, formæ essentialiter affixæ loco non consequuntur, etiam per Deum, corpus replicatum.

LXXXI. Probatur, quia cum supponantur esse essentialiter affixæ loco, non magis per Deum possunt aliò transferri, quàm earum essentia mutari, ergo, &c. idem dic de formis dependentibus à loco, ut sunt actiones quinque sensuum, visio, auditio, &c. spectatâ potentia Dei ordinariâ; illæ enim habent spheram naturalem, intra quam necessariò debet esse ipsarum objectum, ut experimur omnes.

R E S O L U T I O II.

LXXXII. **D**ico 2^o, omnes aliæ formæ, tam substantiales, quàm accidentales, & è contra, possunt supernaturaliter consequi subjectum replicatum.

LXXXIII. Probatur; quia illæ formæ non sunt minùs capaces duorum ubi supernaturaliter, quàm ipsum subjectum, ergo, &c.

R E S O L U T I O III.

LXXXIV. **D**ico 3^o, omnes aliæ formæ, etiam strictè connaturales, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ, naturaliter non comitarentur corpus replicatum, neque id congruum videtur.

LXXXV. Probatur, quia subjectum replicatum, ut subjectum naturale informationis illarum formarum, extendi non potest ad ubi replicationis, sed ad naturale tantum, ut patet; atqui illæ formæ sunt in loco per hoc, quòd subjectum ut subjectum

naturale informationis respiciant, ut constat ex Dubio 2^o, ergo, &c. Probatur major 1^o, quia ubi replicationis est supernaturale, ac proinde facit subjectum informationis supernaturale, saltem ex parte conditionis: 2^o, quia alioqui non posset Deus naturaliter formas à loco absolutas non connaturales, sive contrarias connaturalibus, sive non contrarias, replicato subjecto in centum locis distissimis, non replicare in omnibus illis, quòd meritò putabitur obesse Dei absolutæ potentia, & contra exigentiam, tum subjecti, tum formarum non connaturalium, vel connaturalibus contrariarum, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 1^o, quia causa naturalis calefaciens Romæ subjectum hic & Romæ existens, etiam hic subjectum calefaceret, & sic de aliis, quòd videtur absurdum; quia sic non haberet spheram activitatis (quòd si verum est, sive absolute, sive per accidens, & ex suppositione quòd subjectum sit in diversis locis, fiat) sacerdos sanguinem Christi Romæ suo halitu calefaciens, hic etiam illum calefaceret, contra omnem experientiam; ergo omnes formæ, &c. naturaliter non comitentur, neque id congruum foret, quantum experientia ista docet: quòd autem in Eucharistia ponantur anima & Christi divinitas per concomitantiam, ut docet Trident. sess. 13. cap. 3. non est, quia congruum videtur ut omnes pro modo affectiones rei (ut docet P. Comptonus Physic. Disp. Sect. 7.) & accidentia, sive naturalia, sive supernaturalia, ponantur in loco, quòd res transfertur, simul cum re illa, cujus sunt affectiones, quia jam sunt facta illius, & illa quasi possidet, & per unionem jus ad illa acquisivit. Ita ille; nam inde sequeretur calorem halitus ab isto sacerdote Romæ causatum debere ex congruo hic esse, cujus oppositum experimur: sed quia *ly meum* & *meus* in forma Eucharistia denotat corpus & Sanguinem Christi reipsa esse unita animæ, divinitati, &c. in Eucharistia prout extra; sic nempe ut formæ corporis v. g. sit hic sensus Catholicus, *Corpus meum, quod præcise vi verborum in Eucharistia ponitur, est reipsa in Eucharistia per concomitantiam unitum animæ & divinitati, prout est extra illis unitum*: ubi an *ly sicut*, sic concomitantiam, & non potius Christi gratuitum erga creaturas suas affectum, significet, non probabit; quia in primis Christus nihil contra congruentiam ex natura rei fecisset, si pro forma corporis hanc statuisset, hoc est *corpus meum, ut ab anima & divinitate separatum*: deinde sicut existentia illa supernaturalis corporis Christi in altero loco, quàm naturali, est supra naturam rei, & non contra; ita separatio accidentium, etiam connaturalium, à corpore Christi prout in altero loco, quàm naturali existente, esset supra naturam rei; & non contra, ergo, &c.

LXXXVII. Confirmatur 2^o solutione objectionum.

LXXXVIII. Obicies 1^o, essentia nusquam potest naturaliter esse sine suis proprietatibus; ergo si replicetur, exigit secum replicari suas proprietates; ergo si Deus subjectum ponat supernaturaliter in duobus locis, non potest sine miraculo non ponere etiam proprietates in duobus locis.

LXXXIX. Confirmatur ex Conc. Trid. dicente, Corpus & animam sub utraque specie poni ob naturalem concomitantiam; ergo si Deus subjectum ponat supernaturaliter in duobus locis, non potest sine miraculo non ponere etiam proprietates in duobus locis.

xc. Respondeo distinguendo antecedens, essentia

cia nusquam, id est in nullo loco naturali, potest naturaliter esse sine suis proprietatibus, concedo antecedens; nusquam, id est in nullo loco, sive supernaturali, sive naturali, potest naturaliter esse sine suis proprietatibus, nego antecedens; nam si non exigat esse in loco supernaturali, uti revera non exigat, multò minus exiget esse instructa proprietatibus in loco supernaturali; quia etiam esse in duobus locis est supra naturam ipsarum proprietatum, & haberi non potest sine altero ubi proprietatum supernaturali; exigentia autem naturalis non magis potest esse ad aliquid supernaturale, etiam per accidens & ex supposito, quàm esse possit supernaturalis per accidens & ex supposito. Ad Confirmationem

xcv. Respondeo admittendo verba Tridentini; nihil enim hic Tridentinum, habet contra nos, quia supponit sub specie panis corpus poni, eo modo, quo se habebat, cum Christus dixit *hoc est corpus meum*; & sub specie vini poni sanguinem, eo modo, quo se habebat cum Christus dixit *hic est calix sanguinis mei*; &c. corpus verò tunc habebat naturalem concomitantiam animæ, & sanguis naturalem concomitantiam corporis & animæ, unde rectè ex illo supposito dicitur ob naturalem concomitantiam corpus & animam poni sub utraque specie: in proposito verò supponi non potest in 2º loco Romæ v. g. subjectum poni eo modo, quo se habet Gandavi, est id ipsum est quod hic quæritur; nec est ratio hoc hic supponendi, sicut est illud supponendi in Tridentino; quia procul dubio Christus dicens *hoc est corpus meum*, non loquebatur de suo corpore secundum statum separationis ab anima, aut alium, quem postea habiturum erat; nec in illo statu separationis ulla est naturalis concomitantia corporis & animæ, ut patet; unde malè Tridentinum diceret *corpus & animam sub utraque specie poni ob naturalem concomitantiam*.

xcvii. Adde, quòd si Tridentinum aliquid haberet contra nos, probaret etiam contra multos, ut Alensem 4. parte Quæst. 44. Okamum, Majorem, Averfam, Arriagam, &c. formas non connaturales debere subjectum replicatum naturaliter concomitari; quia habent etiam naturalem contingentem & naturaliter solubilem concomitantiam ad subjectum, sicut habet anima ad corpus, & corpus ac anima ad sanguinem.

xcviii. Objicies 2º ex P. Poncio; ideo nequit corpus naturaliter moveri ab uno loco ad alium, absque eo quòd moveantur cum ipso omnia accidentia ipsius loco absoluta, quia sunt à loco absoluta & corpori tamquam subjecto Physicè unita; ergo si corpus poneretur in pluribus locis, deberent similiter illa cum illo poni in pluribus locis; quia sunt loco absoluta & corpori tamquam subjecto Physicè unita.

xcix. Respondeo negando antecedens, videlicet, quòd id sit præcisè ob illam rationem; quòd enim naturaliter nequeat corpus moveri, quin illa moveantur, est, & quia sunt loco absoluta, & quia sunt illi tamquam subjecto Physicè unita, & præterea, quia naturaliter movetur corpus acquirendo terminum ad quem novum & deferendo terminum à quo antiquum, sive quia in motu remanet subjectum naturale informationis illorum, quale non remanet in motu superna-

turali, in quo retinet terminum à quo antiquum & acquirit terminum ad quem novum, sive in adductione ad diversa loca; accidentia verò non sunt in loco naturaliter, nisi per ubi, quod habet corpus ut subjectum naturale informationis illorum, ut supra probatum est: hinc ulterius patet, cur intellectio animæ, aut Angeli, sit ubicumque est anima, aut Angelus, tamquam in loco naturali.

xcv. Objicies 3º, si præfatæ formæ, replicato subjecto, non replicarentur, subjectum esset sibi ipsi dissimile, hinc videlicet calidum, Romæ non calidum; hinc congelatum, Romæ non congelatum; sed hoc est contra exigentiam subjecti, ergo, &c.

xcvi. Respondeo negando minorem; contradictorium enim verum est, videlicet subjectum in duobus locis non exigere esse sibi simile; quia ad hoc ut exigat sibi esse simile in duobus locis, requiritur exigentia supernaturalis alterius ubi suarum qualitatum supernaturalis, quam non habet, sed naturalem tantum ad unicum.

xcvii. Deinde; hinc sequeretur hostiam hic conservatam, hinc ubi ubicatam, motam, sumptam, &c. debere etiam Romæ esse hinc ubi ubicatam, motam, sumptam, &c. alioqui esset sibi ipsi dissimilis contra exigentiam suam, contrarium tamen experientia docet: hinc patet nullius esse momenti rationem, quam Ruvius de loco Quæst. 8. adfert, & plures alii sequuntur, videlicet, subjectum non posse esse album in uno loco, & non album in alio, quia sunt contradictoria: nam sicut secundum ipsum non sunt contradictoria idem esse sibi dissimile diversis temporibus, heri v. g. album, hodie non album; ita nec sunt contradictoria idem esse sibi diversis in locis, hinc v. g. album, Romæ non album; quia contradictoria sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem, eodem tempore & loco, nisi velis, cum hæreticis, sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, de quo verificantur similia contradictoria, esse impossibile & chymæricum, sicut simultanea veritas contradictoriorum est impossibilis & chymærica; unde Petrus replicatus hinc & Romæ, posset hinc vivere, & Romæ mori, sive (ne disputes de nomine) & Romæ habere corpus & animam separata, post conjunctionem Romæ antea factam.

xcviii. Objicies 4º, ex hac sententia sequitur posito subjecto hinc & Romæ, quòd accidentia, quæ hinc essent in subjecto, penderent & non penderent ab hoc loco; sed hoc contradictoriè repugnat, ergo, &c. Probatur sequela majoris pro 1ª parte, videlicet quòd penderent, quia si Deus destrueret hoc ubi subjecti, & solum Romanum conservaret (quod naturaliter potest; cum subjectum non exigat nisi unum ubi) perirent omnia accidentia defectu subjecti hinc existentis, ergo, &c. probatur sequela majoris pro 2ª parte, videlicet, quòd non penderent, quia cum moveantur localiter simul cum subjecto, possunt remanere naturaliter pereunte hoc ubi, sive hoc loco, ergo, &c.

xcix. Respondeo distinguendo sequelam majoris; penderent & non penderent eodem sensu, nego sequelam; diverso sensu, concedo sequelam; penderent enim ab hoc loco aut aliis naturalibus successivè comparabilibus, & non penderent ab hoc loco naturali tantum; quia, ut toties dictum est, illa accidentia sunt in loco per ubi subjecti,

subjecti, tamquam subjecti naturalis informationis eorum, quale manet in motu locali.

D V B I V M VII.

Quarum formarum subjectum replicatum sit capax.

R E S O L U T I O.

C. Ico, subjectum replicatum, sive per solam adductionem, sive per solam reproductionem, sive per reproductionem simul cum adductione, non potest simul recipere formas, quas non potest simul recipere non replicatum.

CI. Probat, quia oppositio & repugnantia istarum formarum non est penes ordinem ad locum unum, aut plura; sed per ordinem ad idem subjectum ex entitate sua illarum simul tempore habendarum incapax: atqui, nec sola adductio, nec adductio simul & reproductio tollit illam incapacitatem subjecti, magis quam entitatem ejusdem subjecti, cui identificatur, nec addit virtualitatem ab illa entitate realiter distinctam, & quæ ante non erat; alioqui, contra suppositum, non esset reproductio aut adductio ejusdem omnino rei, ergo, &c.

CII. Confirmatur, nec reproductio, nec ubi, illas formas recipit, sed subjectum secundum se; ergo subjectum secundum se incapax illarum formarum simul habendarum, non fit capax ratione reproductio simul & adductionis ad alium locum.

CIII. Objicies ex P. Compt. & aliis, *Phys. Disp. 35. Sect. 5^a.* res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas; ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato ac discontinuo; consequentia patet: probatur antecedens, quia anima in corpore existens movetur in manu, dum interim frequenter non omnino movetur in pede; in manu dextra attollitur, & deprimitur in sinistra; actus intellectus est in anima in capite, non in manu, &c. ergo, &c.

civ. Respondeo distinguendo assumptum, res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas præcisè, quia est in diverso loco inadæquato, nego assumptum: quia est in diverso loco inadæquato, sic ut simul æquivaleret multis habentibus esse simpliciter, concedo assumptum; sicut enim anima rationalis per se præcisè habet vires ad duo loca; ita posita in duobus locis per se præcisè habet vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, licet in uno contingere non possint: è contra verò, quia corpus in duobus locis existens, per se præcisè non habet vires ad duo loca, ita nec posita in duobus locis habet per se præcisè vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, quæ in uno contingere naturaliter non possunt. Hinc

cv. Colliges 1^o, quòd si subjectum replicatum, de potentia absoluta in uno loco non possit aliquas formas habere, neque de eadem potentia posse illas habere in diversis locis, & si solum de potentia ordinaria non possit, & possit de absoluta, non poterit de ordinaria illas habere, & poterit de absoluta; hinc quia de potentia ordinaria non potest idem subjectum hinc esse summè calidum & summè frigidum, si sit hinc & Romæ replicatum, & hinc aqua in ipsum agat, & ignis in ipsum Romæ, idem con-

tinget, quòd contingeret, si ignis hinc ab una parte, & aqua ab alia, agerent in idem subjectum hinc existens, ad hoc determinata ex natura subjecti in quòd agunt, quæ est eadem reproducta & adducta, ac non reproducta & non adducta.

CVI. Nec dicas esse eandem etiam hodie & cras subjecti naturam, & tamen idem subjectum posse hodie calorem in summo, & cras frigus in summo recipere: disparitas enim est, quòd duæ durationes non sint simul similitate existentie: unde ratione illarum subjectum æquivaleret multis habentibus esse simpliciter diversa; diversa verò loca sunt simul similitate existentie: unde ratione illorum subjectum non potest æquivalere multis, nisi secundum quid, & quoad loca diversa: deinde quantum cognoscimus ex natura rei, alia est repugnantia subjecti in ordine ad duas durationes simul, alia in ordine ad duo loca simul; hæc enim solum est respectu potentie naturalis; illa autem etiam respectu potentie supernaturalis; unde à durationibus ad ubicationes nullum est argumentum.

CVII. Colliges 2^o, corpus centum librarum, quòd hinc ponderaret centum libras, & Romæ etiam centum, non ponderaturum ducentas: sed sicut foret idem hinc & Romæ, ita hinc & Romæ ponderaret easdem centum libras: sic similiter lignum pedale in spatiis A. B. C. D. per replicationem existens, non erit per replicationem quadrupedale, licet habiturum sit extensionem localem quatuor pedum; quia in illis locis futurum est idem lignum pedale.

D V B I V M VIII.

An Corpus replicatum possit moveri, & quomodo.

R E S O L U T I O.

CVIII. Ico, corpus replicatum posset supernaturaliter moveri, naturaliter non posset.

cix. Probat 1^a Pars, quia supernaturaliter corpus habere potest plura ubi, imò & ubique collocari, ergo, &c.

cx. Probat 2^a Pars 1^o, quia non exigeret moveri; nam alioqui exigeret ubi supernaturale, quòd est falsum, etiam supposito, quòd sit in duobus locis; nam sicut esse in duobus locis est supra exigentiam naturalem ipsius corporis replicati, ita supra suam exigentiam naturalem non exigeret in alterutro loco ubi supernaturale, adeoque nec moveri.

cxI. Probat 2^a Pars 2^o, quia alioqui naturaliter poneret formam, seu alterum ubi, naturaliter incompatible in eodem subjecto cum alio, quòd naturaliter repugnat. Hinc

cxII. Colliges 1^o, te quantumvis debilem sine difficultate sustentaturum corpus centum librarum supra utrumque humerum tuum replicatum; quia naturaliter non gravitaret, sicut naturaliter moveri non posset; sed quid si replicaretur in una bilance Gandavi & in alia Romæ, quantum ponderaret? nihil, quia, ut dixi, nihil gravitaret naturaliter.

cxIII. Colliges 2^o, hominem quantumvis fortissimum non posse naturaliter puerum in duobus locis replicatum lædere aut percutere; quia læsio dicit motum carnis ex læsione, cicatrice aut percussione, qui naturaliter esse non posset.

DISPV-

DISPUTATIO QUARTA.

De Vacuo.

D V B I V M I.

Quid Vacuum, & an dari possit naturaliter.

R E S O L U T I O I.

I. **D**ico 1^o, juxta D. Thomam & alios communiter, Vacuum est locus carens corpore; unde pro formali dicit carentiam; pro materiali verò ipsam superficiem corporis carentis in se alio corpore; hinc spatia imaginaria non debent dici Vacuum; quia non sunt locus; non verò, quia corpore naturaliter repleti non possunt, ut docet P. Comptonus Phys. Disputat. 32. Sect. 1^a.

R E S O L U T I O II.

II. **D**ico 2^o, post Aristotelem Physic. 4^o. cap. 8^o. & 9^o. cui ferè omnes subscribunt, nullum datur naturaliter, nec dari potest, in rerum natura Vacuum.

III. Probatur variis experientis quibus Physicè certum est, corpora ita invicem uniri, vel saltem contiguari, ut nullà vi naturali discontinuari, vel saltem discontiguari possint.

IV. Prima experientia: nec ex dolio bene obturato, etiam post tractum epistomium; nec ex lagenâ orificio inverso, vinum effluit, ob solum periculum vacui.

V. Secunda: pueri fistulâ oblongâ aquæ admotâ baculo extracto, aquam attrahunt; vinitores ope recurvi scyphonis dolio vini immerfi, halitu aërem trahente, dolium vacuant, ob solum periculum vacui.

VI. Tertia: latera follium ab invicem divelli non poterunt, si orificium, aliisque aditus bene obturentur, & sic de sexcentis aliis, ob solum periculum vacui: cur autem natura ita abhorreat vacuum, cum Aristotele in 1^o; meteorologicorum pro ratione adfero dependentiam sublunarium ab influentiis cælestibus, quæ alioqui communicari non possent, impediente vacuo; si enim posset dari vacuum uno instanti v.g. & circuli pilæ, posset & quadri alterius plurium milliarium, ac pluribus annis; quo casu omnia corpora, quæ essent è diametro infra, nec viâ rectâ nec per latera cælestes influentias recipere possent, ut patet exemplo pluvie aut radiorum solis; ab eis tamen omnino pendent, ut infra probabimus.

VII. Objicies 1^o, sit turrata lampas oleo accensa, oleum in ea paulatim minuitur; sed in locum olei aër ingredi non potest, ergo ibi necessariò datur vacuum.

VIII. Respondeo, vel, ut vult Ioannes à Porta, per foramen, per quod egreditur oleum, aërem ingredi, unde dum ingreditur, subinde auditur aliquis parvus sibilus; vel, ut vult Cardanus, oleo intus incalcescente rarefcit aër, qui ante in lampade erat.

IX. Objicies 2^o, sit vas lapideum plenum aquâ

calidâ, & rarefactione consummatâ, undique bene obseretur & claudatur, ac in loco frigido ad condensandam aquam colloctur; condensatione factâ, aqua minus spatium occupabit, quàm ante, ergo dabitur vacuum.

X. Respondeo negando consequentiam, quia, vel vas frangetur in parte debiliori, vel si undique æque forte sit, & non frangatur, aërem subingressurum per poros vasis; vel potius dicendum erit non fuisse ita obturatum, quin per foramen aliquod subingredi poterit aër.

D V B I V M II.

A quo moveantur corpora in periculo Vacui.

R E S O L U T I O.

XI. **D**ico, non moventur à solo Deo aut Angelis, neque à corporibus ipsis, quæ moventur per virtutem illis intrinsicam; sed ab illo, qui movet corpus, ex cujus motione imminet periculum vacui.

XII. Probatur 1^a Pars 1^o, quia frustra ad Deum aut Angelos recurritur pro effectibus quorum reperiuntur causæ sublunares, uti hîc, ergo, &c.

XIII. Probatur 1^a Pars 2^o, quia, qui attracto aëre aquam per antliam aut fistulam attrahit, sentit pondus, difficultatem & defatigationem, quam alioqui non sentiret: deinde qui lagenam aquæ orificio infra, portat, non aliter, nec minus, aquam movet, quàm si illam orificio supra portaret: sed illo casu aqua sursum movetur, & extra centrum, in periculo vacui; ergo corpora in periculo vacui non à solo Deo, aut Angelis, moventur.

XIV. Probatur 2^a Pars; tum probatione 2^a 1^a partis; tum quia in gravi non potest esse virtus intrinseca movendi se sursum; alioqui haberet duas virtutes naturales repugnantes, videlicet ad motum sursum & deorsum; & si aër omnis cælum inter & terram annihilaretur, terra naturaliter ascenderet & conjungeret se concavo lunæ, ut hac ratione frueretur influentiis cælestibus; quod quidem admittit P. Comptonus Disp. 31. Physic. Sect. 1^a. sed id mihi tam naturaliter impossibile videtur, quàm vivum hominem profundè in terra sepultum, posse naturaliter lapidem sepulchri penetrare, ut fruatur beneficio aëris, quo respiret; tam enim est contra naturam gravis ascendere sursum, quàm sit contra naturam quanti, aliud quantum penetrare. Addit etiam contra, P. Poncius hîc, *illa virtus esset agentis naturalis, quod positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit; ut quid igitur aqua maris jam non ascendit sursum? sed responderi potest, quia non sunt omnia ad ascendendum sursum requisita, videlicet periculum vacui, quod potest esse conditio ad agendum requisita; nam finè illo attrahens aërem per antliam aut fistulam non attraheret aquam, ut consideranti patebit; unde soli nostræ probationi infistimus.*

XV. Probatur 3^a Pars, quia, qui attrahendo aë-

rem per fistulam, aut anliam, attrahit aquam, sentit pondus & resistentiam aquæ, & virtute suâ illam superat: & si cesset illam attrahere, desinit ascendere, ergo, &c.

xvi. Objicies, incredibile est puerum parvâ forbitione aëris è recurvo scyphone posse movere & attrahere integrum plaustrum vini; sed hoc fieret in hac sententia, ergo, &c.

xvii. Respondeo negando majorem; quia cum omnia corpora ab alio tracta virtute quâdam quasi magneticâ sibi naturali (quæ non est contra naturam gravium) alia corpora sibi propinqua in periculo vacui trahant, non requiritur magna vis in attrahente; nam in attrahendo à singulis corporibus attractis coadjuvatur; hinc autem patet in periculo vacui diverso modo trahi corpora remotiora, ac partes remotiores baculi, attractis proximioribus; quòd enim aliqui, ut ostendant eundem tractus modum, doceant ita colligata esse corpora, ut Deus juxta naturæ exigentiam decreverit non concurrere ad movendum ullum corpus, sic ut ab omni alio localiter separetur, mihi non est probabile; quia ut sæpius dixi, pro purè naturalibus sine necessitate ad Deum recurrere, est ignorantiaæ asyllum aperire: si verò quæras, cur corpus unum, non trahat aliud, tam extra, quàm in periculo vacui, cum vis illa attractiva sit agens necessarium, nec periculum vacui cognoscat? Respondeo, quia periculum vacui est conditio sine qua non, uti præsentia subjecti ad actionem ignis transeuntem; hujus tamen absentiam aut præsentiam ignis non cognoscit saltem cognitione elicita; sed hæc non requiritur, & innata sufficit, ut experientia comprobatur. Dicere autem esse disparitatem; eò quòd ignis creare deberet, quod non potest: nil est dicere; quia, vel est paritas, vel ratio tua convincit posse.

Q V Æ S T I V N C V L A.

xviii. **Q**uæres, an ab Angelis naturaliter vacuum induci possit?

xix. Respondeo negativè; non quidem defectu virtutis, quia vacuum inducere non est majoris virtutis, quàm sit, attracto aëre per fistulam, aquam in suo loco continere; quod non videtur Angelicam virtutem superare, præsertim cum possit cælos & totum mundum movere, & in eo virtutem suam experiri velle, unde vacuū inducendo nihil frustra facerent, contra PP. nostros Complut. hic, & Thomistas alios: sed quia Deus non subjecit Angelis orbem terræ juxta illud Pauli ad Hebræos 2º. *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ*, quod alioqui videretur factum; quia cum ad conservationem sub-lunarium necessariæ sint influentiæ cælestes, per inductionem vacui, quâ impedirentur, omnia sub-lunaria perdere possent. Vnde non video, quâ ratione D. Fromondus de Animalib. 3º. cap. 10. dicat implicare contradictionem corpora duo à se invicem reverrà distare, & tamen nullum reale inter vallum inter ea intercedere.

D V B I V M I I I.

An fieri possit motus in vacuo.

R E S O L U T I O.

xx. **D**ico: eâ parte, quâ corpus conjunctum foret reliquis partibus Univerſi, naturaliter moveri non posset; cæteris & se toto, si totum à reliquis partibus Univerſi disjunctum foret, moveri naturaliter posset.

xxi. Probatur 1ª Pars, quia alioqui naturaliter induceretur vacuum in loco istius partis conjunctæ reliquis partibus Univerſi, quod fieri posse naturaliter, supra n. 2º. negatum est; unde si haberet caput illis conjunctum, & non pedes, maneret capite appensum, nec illud movere posset, bene pedes; è contra, si pedes, &c. item qui terram tangens haberet bombardam oneratam, non posset illam explodere, & si escam inflammaret, deberet flamma perseverare.

xxii. Probatur 2ª Pars; quia, cum per motum tunc non induceretur vacuum, nihil impedit quominus fieret naturaliter motus, sive sursum, sive deorsum; sive ad dextram, sive ad sinistram; nam corpus, quod foret tunc disjunctum à singulis partibus & centro univerſi, non magis appeteret conjungi cum aliqua parte univerſi, quàm si foret omnino extra, ergo, &c.

xxiii. Dices, si fieret motus in vacuo, deberet ille secundum quod adductio est ad diversa loca, in instanti fieri; sed hoc repugnat naturaliter, ergo, &c. Probatur major, quæ est Aristotelis, quia nulla esset resistentia medi, à qua successio motus, ergo, &c.

xxiv. Respondeo negando majorem; quia alioqui supposito vacuo inter concavum lunæ & terræ, lapis à concavo lunæ ad terram cadens, in instanti fuisset locatus in mille & mille locis, quod vitibus naturæ omnino repugnat.

Ad ejus Probationem

xxv. Respondeo majorem illam non esse Aristotelis; quia ibi non loquitur ad rem, sive ut rem declaret; sed ad hominem, sive ut contra Platonem & alios arguat, dicentes totam successionem motus provenire ex resistentia medi, ergo (inferebat) ubi nulla resistentia medi, ut in vacuo, nulla successio motus; motus est instantaneus, &c. quod ex propria sententia reputaret absurdum; quia nimis clarum est successionem motus non solum oriri ex resistentia medi; sed partim ex limitata virtute moventis; partim ex tanta, vel tanta intercapedine spatii percurrenda; partim ex resistentia medi, si medium sit: alioqui positus duobus lapidibus æqualis gravitatis, uno quidem apud concavum lunæ, alio verò uno pede à terra, lapis à concavo lunæ per totum vacuum intermedium motus, tam cito esset in terra, ac alter, quod est rationi absolum: hinc facile solves omnia, quæ ex Philosopho, aut aliis, ut Pereira, Ægidio, Burleo, Alberto Magno, &c. contra adferuntur.

DISPUTATIO QUINTA.

De Spatiis Imaginariis.

D V B I V M I.

Quid sint Spatia Imaginaria.

I. **C**onstat in primis spatia illa, quia Imaginaria, non esse realia positiva aut negationes ubicationis realis non tollibiles, ut docet P. Compt. Disp. 33. Phys. Sect. 2^a. quia, per impossibile, omni cessante & impossibili facta imaginatione, negationes ubicationis realis non tollibiles suo modo essent; & tamen eo casu spatia imaginaria cessarent & impossibilia essent; ac proinde spatia imaginaria esse non possunt: deinde vel præfatus P. Comptonus per ly *imaginaria* intelligit imaginata vel imaginabilia? 1^{um} jam refutatum est, imò illæ negationes suo modo sunt, licet imaginatæ non sint; ad 2^{um} autem frustra negationes illas requirit, quia licet non essent, sed earum loco ubicationes reales, adhuc spatia imaginabilia essent; denique Disp. cit. Sect. i. n. 3. docet spatia imaginaria debere esse actû; quod intelligi non potest si sint negationes; quia negationes actû esse, idem est ac non esse actû, esse, esse actû, quia negationes sunt non esse actû, ut consideranti patebit, dicta supra Disp. 5^a. de privatione; ista autem sunt contradictoria.

RESOLUTIO.

II. **D**ico, spatia imaginaria, non nisi imaginariè, imaginaria dicuntur, & attentis proprietatibus, quæ illis à Theologis & Philosophis communiter tribuuntur, ut, quòd sint spatium infinitè extra cœlos diffusum, æternum, capax (puta per non repugnantiam) corporis, &c. omnino cum spatiis realibus possibilibus confundi debent. Probatur Resolutio, quia his proprietates illæ conveniunt, nec aliter commodius videntur explicari posse, ergo, &c.

III. **D**ixi, non nisi imaginariè, quia revera, non nisi, quia hæc spatia possiblea imaginamur nobis ad instar nebulæ obscuræ aut aëris in infinitum diffusi, imaginaria dicuntur; unde S. Augustinus de Civit. lib. 1^o. cap. 5^o. insinuat spatia imaginaria inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, uti tempora imaginaria inanes hominum cogitationes, quibus inaniter cogitant præterita tempora vocationis Dei. Hisque consonanter Conf. lib. 7^o. cap. 1^o. & 5^o. spatia illa, vocat *spatiosum nihil*.

D V B I V M II.

An Deus sit actû in Spatiis Imaginariis.

RESOLUTIO.

IV. **D**ico, Deus nõ est actû in spatiis imaginariis; ita Bonaventura, Scotus, Valquez, Capreolus, Oyiedus, D. Fromondus de Anima lib. 3. c. 10. & plures alii, apud Compt. hic contra Suarez, Majorem, Sorum, Hurtadum, Arriagam, Fonseca, Comptonum & plures alios, quos citat.

v. Probatur, quia non aliter Deus est in spatiis imaginariis, quàm ipsa sint Deo actû præsentia; sed

illa non sunt Deo actû præsentia, ergo, &c. Major patet; probatur minor ex dictis. n. 1^o.

VI. Nec dicas, illa esse actû possibiliter Deo præsentia; non verò actû actualiter. Quia apertus est lusus in terminis; nam sicut totum esse, & totaliter esse, non distinguuntur, ne totum & partes distinguantur; ita nec actû esse & actualiter esse distinguuntur; imò illa esse actualiter possibiliter, idem est, ac esse actualiter, & non esse actualiter; quia ly *possibiliter* dicit non esse actualiter; quæ (ut supra insinuavimus) sunt contradictoria.

VII. Objicies 1^o, Deus est extra mundum realiter immensus, & juxta Trimegistum *sphæra intelligentibus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam*; alioqui producto novo mundo ultra cœlos non esset illi præsens; vel si esset illi præsens, esset etiam in medio, vel non? si 1^{um}, ergo esset in spatiis imaginariis, uti ista sunt: si 2^{um}, ergo esset à seipso divisus uti illi mundi, quod est absurdum, ergo, &c.

VIII. Respondeo negando ultimam consequentiam; & dico, quòd Deus, si produceretur novus mundus, foret illi præsens, & in medio inter utrumque; non quidem tamquam in spatio imaginario; sed tamquam spatium immensum reale à se & sua immensitate Divina realiter indistinctum: hinc optimè August. 7. Confess. cap. 5^o. (quod sine ratione D. Fromondus de Anima lib. 3^o. cap. 10. art. 1^o. docet ab Augustino retractari, cum id verissimum sit, sensu dato) mundus in Deo est velut spongia parva in oceano immenso, qui ultra spongiam latè fusèque secundum propriam substantiam distenditur; & ad rem nostram scriptura Iob 11. & lib. 3^o. Regum cap. 8^o. ubi dicitur Deus excelsior cœlis, cœlos cœlorum eum non capere, &c. unde probare non possum, quod ait Hugo Cavallus Schol. ad Scotum 1. d. 37. *Omnes serè antiqui Theologi tenent Deum modo non esse extra cœlum*, & approbat D. Fromondus loco citato; licet verum sit quod D. Fromondus ibi docet *nec Deum magis jam in quadam immensa extra mundum vacuitate esse, quàm erat in sole, aut lapide antequam sol, aut lapis crearentur*. dato quòd etiam in his tunc erat, tamquam spatium reale à se & sua immensitate realiter indistinctum; quod Catholicè negari posse non videtur.

IX. Objicies 2^o, ante mundum conditum Deus erat actû in temporibus imaginariis, ergo & in spatiis imaginariis & consequenter etiam jam est in spatiis imaginariis ultra mundum.

X. Respondeo negando antecedens; quia ista actû tempora imaginaria haud minùs sunt chymærica, quàm spatia imaginaria; unde sicut Deus ultra cœlos jam est spatium reale suæ immensitatis, ita ante mundum conditum fuit tempus reale suæ æternitatis, & in ea sola existens.

XI. Instabis, ante mundum conditum fuit fluxus de parte temporis possibilis correspondens tali virtualitati æternitatis, ad aliam sequentem; sed ille fluxus est tempus imaginarium, & Deus ante mundum conditum erat actû in isto fluxu, ergo, &c.

XII. Respondeo distinguendo majorem, ante mundum

mundum conditum fuit fluxus, &c. distinctus à producibilitate entis passivæ, & activæ Dei, correspondente Dei æternitati ante mundum conditum ab æterno quasi fluenti, nego majorem: indistin-

ctus, concedo majorem; sed hoc tantum est Deum fuisse actum in sua æternitate, quæ secundum te procul dubio non est tempus imaginarium, sed realiter Deus ipse.

DISPUTATIO SEXTA.

De Motu, Duratione, & Tempore.

I. **M**OTUS dupliciter considerari potest 1^o, ut latius est, quomodo dicitur motus localis; 2^o ut mutatio est, quomodo ab Aristotele definitur *actus entis in potentia*, id est actus entis perfectibilis per ipsum actum, ut ulterius perfectibilis per similem actum, quod congruit ejus doctrinæ, quæ docet motum debere esse continuum successivum. Hoc præmissis, fit

DUBIUM I.

Quid motus localis? quæ causa proxima motus in projectis, & an projecta quiescant in puncto reflexionis.

Ante Resolutionem
ii. Suppono motum localem posse dupliciter considerari: 1^o ut est successivus; 2^o ut instantaneus. Hoc supposito, fit

RESOLUTIO I.

III. **D**ico 1^o, motus localis successivus est continua & successiva adductio ad diversa loca, ita ut terminus à quo semper deferatur & acquiratur terminus ad quem: Instantaneus est adductio ad locum, vel loca, instantaneè; quod autem hic admittamus motum localem instantaneum, mirum videri non debet; quia non est ratio negandi mobile in instanti moveri localiter ad locum sibi immediatum: unde dic motui successivo correspondere ubi fluens, instantaneo permanens, quo tamen sensu dici debeat instantaneus, satis constat ex dictis supra.

RESOLUTIO II.

IV. **D**ico 2^o, causa proxima motus in projectis est ipse motor seu projiciens.

v. Probatur, causa proxima motus in projectis, vel est ipse motor seu projiciens, vel aer medius, vel impulsus seu impetus illis à projiciente impressus; aliud enim non suppetit; sed neque 2^{um}, neque 3^{um} dici potest, ergo 1^{um} dici debet.

vi. Probatur minor pro 1^a parte videlicet quod non aer medius, contra Simplicium, Themistium, Albertum & Perciram: quia frequentissimè moventur contra impetum aeris, seu flantis venti, etiam celerissimè, ut patet ex glande è tormento bellico emissâ: 2^o omnis motus aeris, cum sit ad replendum locum à corpore projecto relictum, potius motum projectorum præsupponit, quam ponit: 3^o motus aeris, præsertim flante vento, est valde irregularis, modò in unam, modò in aliam partem; motus tamen sagittæ, aut glandis ex tormento bellico, valde regularis, & rectâ viâ, ergo, &c.

vii. Confirmatur, dari potest motus projectorum in vacuo; sed ibi nullum medium, ergo causa proxima illius motus non est aer medius.

viii. Probatur minor pro 2^a parte, videlicet, quod neque impulsus seu impetus à projiciente projectis impressus; quia verisimilius est non dari.

ix. 1^o. Quia illa qualitas nulli subiecto esset proportionata, non imprimis gravi; quia faceret illud moveri sursum contra naturam, & deorsum celerius quàm exigat: neque etiam levi; quia faceret illud moveri deorsum contra naturam, & sursum celerius quàm exigat; non datur autem aliud, cui esset contraturalis & proportionata, ut per omnes discurranti patebit.

x. 2^o. Quia illa qualitas esset incorruptibilis defectu contrarii: non enim gravitas projecti esset illi contraria (ut malè insinuat Arriaga) quia vehementissimus impulsus nihil remittit gravitatis projecti, deinde quia eidem qualitati non contrariantur plures qualitates, gravitati verò contrariatur levitas; denique gravitas potius confert ad impulsus receptionem, quàm illi contrarietur, nam gravia facilius impulsum recipiunt, difficulter levia, ut supra.

xi. 3^o. Non est assignabilis causa à qua effectivè conservaretur; non enim ipse projiciens, quia sapius desinit ante finem motus, causa autem in sententia ipsorum non potest agere si non sit; non etiam aer intermedius, quia resistit impulsui, præsertim si sit ex adverso flantis venti; & statim sequeretur causam proximam impulsus projectorum esse aerem medium, contra probationem minoris pro 1^a parte; deinde impulsus ille ab eadem causa conservari deberet in vacuo, ac jam in pleno: non denique ab ipso mobili, quia nemo conservat hostem in sinu, nec mobile cognoscit naturam impulsus, tantam vel tantam illius durabilitatem, ut potius uno tempore, quàm alio cesset illum conservare; nec habet vim illum 1^o producendi, cur igitur conservandi vim haberet? recurrere verò ad Deum tantquam causam illius conservativam & destructivam, uti recurrunt, Gabriel, Okamus, Ruvius, Murcia, &c. dicendo impulsus esse naturâ fluxum, ac proinde petere tantum durare, & non plus (præterquam quod lubenter audirem quænam sit fluxus in impulsibus, qui continuo terræ per conculationem imprimuntur; aut simili corpori, quod impulsus, non movetur) indignum est Philosopho, ut sæpius dixi, illudque unicuique mihi sufficit ad negandum impulsus; ergo non datur impulsus: vide dicta lib. 2^o. Disp. 3. Dub. 1^o.

xii. Probatur consequentia probationis Resolutionis ex Aristotele hic cap. 10. *Necessè enim est hoc quidem dicere, id quod primum movet, esse ut aer, aut aqua, aut aliquid hujusmodi, quod moveri movereque aptum est, possit movere: subsumo, sed movendo mobile movetur, ergo movetur ab eo, quod primum movet seu à projiciente: & paulò infra, simul atque is qui movet movere desinit, desinit moveri: scilicet mobile*

bile projectum: item ibidem, *Reflexa sphaera, non à pariete mota est, sed à projiciente: denique ex eodem in quaestionibus Mechanicis quaest. 33^a. Cessat autem (videlicet motus) quando non potest amplius facere primum impellens, ut impellat id quod fertur.*

xiii. Confirmatur, quia alia causa proxima motus projectorum non suppetit, & dicendo motivam projectionem projicientis esse permanentem ad certum tempus, eo modo, quo supra lib. 2^o. Disp. 3. Dub. 1^o. Resol. 4^a. explicuimus, loquimur conformiter ad mentem Aristotelis, imò & ad mentem D. Thomæ, qui quaestione unicâ de Anima art. 11^o. docet virtutem quamdam à projiciente imprimi, similem quodammodo virtuti, quæ semini imprimitur à generante; probavimus autem lib. 2^o. Disputat. 6. Dub. 2^o. autoritate D. Thomæ & rationibus multis, hanc aliud non esse, quàm perseverantem generantis actionem: videturque Ioan. Kepleri inter Copernicanos celebrissimi, lib. de Marte cap. 34. *Ex anima jaculantis lapillos species motus in lapillis adherescit, quæ provehuntur illi, etiam, cum qui jaculatus est, manum ab illis rediit*: sicque qui immeritò hîc ab omnibus recentioribus deseritur; vitamus impulsuum superfluas multiplicationes, & difficultates circa eorum naturam & causam conservativam allatas, ergo, &c. Sed

xiv. Quæres à quo moveantur projecta quando resiliunt.

xv. Respondeo contra Murciam (quidquid dixerit suam esse communem) similiter à primo projiciente, motivam tamen projectionem ipsius modificante corpore reflectente: patet ex Aristotele supra *reflexa sphaera, non à pariete mota est, sed à projiciente*; unde D. Thomas super hæc verba, *Paries non dedit impulsus pilæ ut resiliat, sed projiciens*: deinde motus resiliitionis eò velocior est, quò corpus projectum, fortius est projectum; denique quia ad motum (præsertim contra naturam mobilis) videtur requiri motio projicientis intrinseca projicienti; paries verò quiescit: Adde contrarium videri contra communem sensum, quia nullus dicit parietem pilam resilientem projicere.

xvi. Dices, quando ex naturali gravitate pila cadit in terram, à terra resilit; sed non à propria gravitate, quia ille motus resiliitionis est contra naturam gravium, ergo est à terra corpore reflectente.

xvii. Respondeo negando consequentiam, quia ille motus est ab aëre in illo casu à retro semper movente cadentem pilam, unde per vacuum in terram cadens non resiliet, magis quàm manus sine impetu supra terram polita; aër autem ille est impellens.

xviii. Instabis, si motus resiliitionis non sit à corpore reflectente, cur pila projecta contra stupas non ita resilit, sicuti projecta contra parietem? aut cur projecta contra parietem magis resilit, quàm lapis?

xix. Respondeo, quia corpora reflectentia, sive à quibus incipit reflectio, sunt diversæ naturæ, aut quia diversimodè modificant projectiones, pro natura sua, & pro natura projectorum.

RESOLUTIO III.

xx. **D**ico 3^o, interdum mobile quiescit, interdum non quiescit, in puncto reflectionis.

xxi. Probatur 1^a Pars ex motu complanationis ad corpus stans; cum v. g. pila projicitur ad parietem, complanatur, ita ut prius secundum unam partem, posteriùs secundum aliam corpus stans tangat, ergo, &c.

xxii. Dixi *ad corpus stans*; quia si ad corpus quod movetur, v. g. ad lapidem molarem cadentem de cælo, non est cur quiescat.

xxiii. Probatur 2^a Pars, ex projectione lapilli ad lapidem molarem cadentem de cælo, qui sicuti continuò cadendo movetur, ita & lapillus occurrendo & reflectendo, ergo, &c.

xxiv. Objicies, Aristoteles hîc lib. 8^o. videtur docere mobile semper quiescere in puncto reflectionis.

xxv. Respondeo, Aristotelem quidem docere quiescere in puncto reflectionis; non tamen negare interdum non quiescere; vel dic ipsum loqui de quiete motus ut directi, qui in puncto reflectionis verè quiescit seu cessat esse directus; non verò de quiete motus ut motus.

DUBIUM II.

Quid sit duratio: an realiter distincta à tempore, re durante, ejus productione, aut conservatione; & an rerum permanentium sit intrinsece successiva.

RESOLUTIO I.

xxvi. **D**ico 1^o, duratio est ratio formalis, per quam res potius est nunc, quàm tunc; potius hoc tempore, quàm alio; qui verò dicunt durationem esse perseverantiam rei in esse, vim nominis sequuntur, sicut illi qui dicunt motum localem esse successivam acquisitionem loci; nam in rigore rationis prima acquisitio est motus localis, & prima acquisitio temporis, duratio, sic ut duratio dividi debeat in instantaneam & successivam, sicut ubi dividitur in indivisibile & divisibile. Ita R. P. Ioannes à S. Thoma q. 18. de tempore; neque in hoc puncto potest esse quaestio alia, quàm de nomine.

RESOLUTIO II.

xxvii. **D**ico 2^o, cum Scoto in 2^{um}. d. 2^o. q. 2. Okamo, & Gabriele ibidem q. 11. & Durando quaest. 3. ibidem similiter, Suarez, Vasquez, Ioanne à S. Thoma, Hurtado, Oviedo, &c. contra Bonaventuram & Richard. in 2^{um}. dist. 2. art. 1^o. Connimb. nostros Complut. Rubium, Murciam, Arriagam, De Lugo, Comptonum, &c. duratio non est identificata rei productioni aut conservationi, sed est existentia rei cujuscumque & temporis.

xxviii. Probatur 1^a Pars, quia duratio illa à tempore, re durante, & ejus productione, aut conservatione, distincta, est omnino superflua, multiplicatque durationum entitates, & productiones, sine necessitate, ut ex probatione tertii partis constabit, ergo, &c.

Con-

xxix. Confirmatur 1^o, quia hinc sequeretur existere posse rem aliquam, quæ nec esset præterita, nec præsens, nec futura; nec instantanea, nec successiva; nec permanens, nec ab æterno; nec in tempore creata, nec unquam incipiens, nec unquam positivè definens esse: omnia autem esse Deo temporaliter præsentia, non minùs veritas catholica dici debet, quàm omnia esse Deo localiter præsentia, quod esse veritatem catholicam Disputatione præcedenti diximus: Ratio verò sequelæ est; quia ista omnia fundantur in duratione, quæ utpotè à rebus ipsis producenda, & accidens illis posterius, à Deo impediri poterit ne ab illis producat, ut Disputat. præcedenti, Dub. 1^o. a. n. 13^o. vidimus, ergo, &c.

xxx. Confirmatur 2^o, non minùs subjectum naturale informationis cujuslibet formæ concomitantè habet durationem, quàm ubi; sed subjectum naturale informationis habet ubi antequam ulli formæ se naturâ posteriori uniat; ergo & durationem antequam ulli durationi formæ se naturâ posteriori uniat: probatur major: similia absurda sequuntur ex eo, quod duratio illi naturæ postponatur, quæ sequuntur ex eo, quod ubi illi postponatur, ut patet ex confirmatione 1^a. Probatur minor ex dictis Disp. 4. Dub. 3. Resp. 3^a.

xxxI. Probatur 2^a Pars, si duratio esset identificata rei productioni, aut conservationi, rei productioni, aut conservatio, esset essentialiter successiva, ita ut singulis instantibus nova foret; vel permanens, ita ut eadem conservatio durarem toto tempore vitæ; sed neutrum dici potest, ergo, &c.

xxxII. Probatur minor pro 1^a parte, 1^o, quia si conservatio esset essentialiter successiva singulis momentis mutaretur, oporteretque pro causa rem conservante ad Deum ut suppletent causâ secundâ defectum continuò recurrere, quod mihi displicere sæpius ostendi; 2^o, quia non est ratio, cur potius res producta & conservata, sit permanens, quàm ejus productio, aut conservatio; & si illa sit permanens idem de hac, à paritate rationis, dicendum est; imò, ut in intellectione, visione & aliis pluribus, actio identificatur termino permanenti, unde non potest esse essentialiter successiva: 3^o, sequeretur peccatum voluntatis durans unâ horâ singulis instantibus esse novum, & è contra meritum, v. g. actum amoris durantem unâ horâ, singulis instantibus esse novum, quod parit multas in Theologia difficultates, ergo, &c.

xxxIII. Probatur minor pro 2^a parte, quia si foret permanens, per seipsam præcisè daret potius durare cras, quàm hodie, vel simul per existentiam concomitantem temporis crastini? non 1^{um}; quia, cum hodie præcisè sit secundum suam substantiam, hodie daret durare cras, quod implicat: si verò 2^{um}, ergo superflua est duratio distincta, ut constabit ex probatione 3^a partis.

xxxIV. Confirmatur, non est ratio negandi, quod Deus possit me conservare hodie conservatione quâ me conservabit anno 1700. ergo hodie possum durare anno 1700. non durando anno 1648. & cæteris intermediis, pro quo vide dicta lib. 2^o. Physic. Disp. 3^a. Dub. 1^o.

xxxv. Probatur 3^a Pars: quia non est possibile nisi unum tempus simul, Deus, dum est (uti semper est) seipso cuilibet tempore coexistit; ergo similiter creatura, quia non est possibile nisi unum tempus simul, dum est, seipsâ cuilibet tempore coexi-

stit, ac proinde seipsâ durat omni tempore, quod fluit, dum est.

xxxvi. Respondebis post Arriagam, Deum non ideo seipso coexistere cuilibet tempore; quia non est possibile nisi unum tempus simul; sed quia est æternus.

xxxvii. Sed contra 1^o, etiam si non esset æternus, saltem quia non esset possibile nisi unum tempus simul, dum esset, seipso cuilibet tempore coexistet: 2^o, ut æternitas Dei dicatur potius esse cras, quàm hodie, debet determinari per tempus crastinum fluens, dum est æternitas; alioqui æternitas esset cras ab æterno; quod est absurdum, non secus ac cras esse ab æterno; si verò per tempus crastinum determinetur æternitas, ut sit cras potius, quàm ut sit hodie, sinè alio superaddito, quidni Deus determinari poterit, ut sit potius cras, quàm hodie (etiam si per impossibile non esset æternus) per existentiam suam, & tempus crastinum actu fluens, & sic consequenter de creaturis.

xxxviii. Confirmatur objectionum solutione, entium superfluum diminutione, & quia nihil aliud restat cui identificetur commodius duratio, ergo, &c.

xxxix. Objicies 1^o, res quælibet est indifferens ut sit nunc, vel tunc, ergo per aliquid realiter distinctum determinari debet; sed ad hoc non sufficit cum re existente existentia hujus temporis; ergo requiritur duratio realiter distincta: probatur minor, quia vel ibi ly *existens* accipitur pro existente nunc hoc tempore sive verbaliter; vel pro existente abstrahendo ab existente nunc, vel tunc, id est pro præsentia, præterito, aut futuro; sive nominaliter non 1^{um}, quia clarum est ibi involvi durationem realiter distinctam: si 2^{um}, clarum est existens abstrahendo ab hoc tempore v. g. heri existens, esse existens hoc tempore existente, & non esse existens hoc tempore, ac proinde ad existendum hoc tempore, potius quàm alio, requiri durationem à re existente & tempore existente realiter distinctam.

xl. Respondeo distinguendo antecedens; res quælibet, dum est, est indifferens ut sit nunc, vel tunc, nego antecedens: dum non est, concedo antecedens; ad id verò, ut dum non est, determinetur ad esse potius nunc, quàm tunc, sufficit illam produci & tunc existere potius *nunc*, quàm *tunc*, sive instans præsens, potius quàm præteritum, aut futurum; unde nego minorem; ad ejus probationem Respondeo ibi ly *existens* non posse accipi nominaliter, sive neutraliter existente hoc tempore præsentia; quia ut accipiat verbaliter per hoc tempus etiam existens, determinatur; alioqui etiam ly *existens* existente præcisè Deo, & hoc tempore, respectu Dei acciperetur etiam neutraliter, à pari; quia, quod Deus sit æternus, creatura verò temporanea, ut vidimus, nihil juvat; siquidem adhuc debet ipsius æternitas, ad hoc ut sit potius cras, quàm hodie, determinari per aliquid extrinsecum.

xli. Objicies 2^o, durare est correspondere partibus motus; sed partes motus, quæ erunt cras, possunt esse hodie; ergo possum hodie durare cras.

xlii. Respondeo distinguendo majorem, durare est correspondere partibus motus sibi invicem succedentibus secundum prius & posterius, concedo majorem; partibus motus permanenter & materialiter sumptis, nego majorem: ad minorem, similiter distinguo; sed partes motus, quæ erunt cras, possunt esse hodie secundum suum prius, quomodo dicuntur.

dicuntur esse hodierna dies, concedo minorem; secundum suum posterius, quomodo dicuntur esse crastina dies, nego minorem: unde nego consequentiam, dies enim hodierna nihil aliud est, quam pars prior motus, dies crastina, pars posterior; sic mensis Iulius nihil aliud est, quam partes priores motus durantis duobus mensibus; mensis verò Augustus partes ejusdem motus posteriores.

XLIII. Objicies 3º ex Murcia, rem existere potius in hoc loco, quam in illo, est aliquid realiter distinctum à loco, & re locata, ergo similiter existere, potius hoc tempore, quam illo, est aliquid realiter distinctum à tempore, & re durante.

XLIV. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, in eo, quòd quia simul esse possunt plura loca, quorum uni correspondere possit res locata, potest esse hic locus & res locata; quin res locata sit in hoc loco; è contrà verò, quia simul esse non possunt plura tempora, quorum uni correspondere possit res durans, fit ut non possit actu esse hæc res, & hoc tempus existere, quin existat res hoc tempore: quòd autem aliqui dicunt posse rem existere, v.g. heri, & tempus hodiernum, & rem non existere hodiè, nihil urget; quia rem existere heri, non est existere, sed existentem fuisse, sive extitisse; nos autem non negamus posse rem extitisse, & existere tempus hodiernum, quin existat hodiè; sed solum, rem non posse existere, & existere tempus hodiernum, quin determinetur ad existere hodiè.

XLV. Objicies 4º ex P. Comptono Physic. Disp. 39. sc. 1. Petrus existens in instanti A. potest à Deo petere ut ipsum conservet pro sequente instanti, vel tempore: quid autem petit Petrus, si durationem à se & tempore realiter distinctam non petat?

XLVI. Respondeo petere, ut existat, & tempus quod est sequens, & præterea nihil; quia impossibile est Petrum existere, & tempus quod est sequens existere, quin isto tempore duret Petrus; quod, ut advrtas, attende adversarios semper ponere Petrum extitisse, aut extitutum esse, & tempus existere; aut è contrà, tempus extitisse, vel extitutum esse, & Petrum existere; numquam verò Petrum existere, & tempus existere; unde si Deus velit Petrum existere, & tempus existere, prout ly existere distinguitur contrà extitisse & extitutum esse, vult sine ullo ente suprà Petri & temporis existentias, Petrum & tempus coexistere, simul durare, &c.

RESOLUTIO III.

XLVII. Dico 3º. Duratio rerum permanentium est intrinsecè permanens ex parte rei permanentis, & intrinsecè successiva ex parte temporis. Hæc resolutio satis patet ex præmissis.

Pro complemento materiæ de duratione

XLVIII. Adde durationem modo suprà definitam sumptam ordinariè assignari triplicem, videlicet æternitatem, ævum, & tempus: æternitas autem est, juxta Boëtium, interminabilis vita tota simul & perfecta possessio. Id est, est duratio, quæ caret principio & fine, sive, quæ ita est, ut nec potuerit incipere, nec finire: ævum est eorum, quæ sine fine, initium habent: tempus eorum, quæ initium & finem habent.

R. P. Francisci Bona Spei Physica.

DVBIVM III.

Quid tempus, & an à motu successivo differat.

RESOLUTIO I.

XLIX. Dico 1º cum Aristotele, & aliis communiter, tempus rectè definitur, numerus motus secundum prius & posterius.

L. Adverte tamen pro intelligentia definitionis, quòd sicut suprà assignavimus locum duplicem, unum intrinsecum, alium extrinsecum; ita nos posse hinc assignare tempus duplex, unum intrinsecum, aliud extrinsecum; tempus autem intrinsecum est idipsum, ratione cujus, sum potius hoc tempore, quam alio, sive ipsa duratio, de qua Dubio præcedenti: tempus verò extrinsecum est ipse motus habens partes priores & posteriores, sive motus successivus, ut successivus: hoc autem tempus extrinsecum est duplex, unum particulare secundarium & mutabile, & est duratio cujuslibet motus successivi ut successivi, distincti à motu primi mobilis: hæc enim duratio dicitur mutabilis, quia non quilibet motus successivus est æqualis in tarditate, aut velocitate, sed hic tardior, ille velocior, per ordinem ad eandem partes motus primi mobilis: alterum commune, primarium, & fixum, & est motus primi mobilis, per ordinem ad quem ceteri motus & durationes particulares mensurantur; quia ille est uniformis & fixus, ac ad usum communem, jam in horas, dies, annos, &c. divisus.

LI. Dicitur tempus numerus motus; non quòd sit quantitas discreta, siquidem ejus partes, utpotè ejusdem rationis, indistantes sunt continuæ; sed quia, si de tempore extrinsecò particulari sit sermo, cum sit motus successivus, habet partes priores & posteriores numerabiles per hos numeros, dies, annos, &c. Undè est numerus fundamentalis, & numerabilis: si verò de tempore extrinsecò communi, est numerus aptitudinaliter numerans omnium rerum permanentium durationes, seu tempora intrinseca, & motus alios successivos, seu tempora extrinseca particularia.

RESOLUTIO II.

LII. Dico 2º contrà Capreolum, Complutenses nostros, Conimbr. Rubium, Murciam, qui oppositam verissimam malè reputat, & alios: tempus extrinsecum particulare à motu quolibet successivo ut successivo, distincto à motu primi mobilis; & tempus extrinsecum commune à motu primi mobilis, non distinguitur realiter.

LIII. Probatur, quia nulla necessitas talis distinctionis, motuique convenit, 1º definitio temporis extrinseci particularis, 2º temporis extrinseci communis allata, ergò, &c.

LIV. Confirmatur ex Aristotele lib. 4º. text. 100. Prius & posterius in motu, re quidem ipsa & subiecto, idem sunt quod motus, ratione verò diversa sunt, & motus sunt, ergo, &c.

LV. Dices tamen 1º cum Murcia, idem non potest simul multiplicari, & non multiplicari; sed si tempus non esset realiter distinctum à partibus motus successivi ut successivi, idem simul multiplicaretur,

Q

caretur, & non multiplicaretur; ergo, &c. Probatur minor eodem tempore, quo absolvitur motus tardus, centum spatii partium v.g. absolvitur motus velox mille partium; hic autem multiplicantur partes motus, & non multiplicantur partes temporis: ergo, &c.

LVI. Respondeo negando minorem: ad ejus probationem, respondeo in illo veloci motu multiplicari partes motus, & etiam temporis extrinseci particularis, quod solum juxta conclusionem identificamus motui successivo distincto à motu primi mobilis, qualis ille est; hinc patet motum velocem posse habere tardo majorem durationem intrinsecam; quia habet plures partes successivas; æqualem verò, imò, & interdum minorem extrinsecam communem, & primi mobilis, si nempe æquali, vel minori duratione, motus primi mobilis absolvatur.

LVII. Dices 2^o. Deus potest reproducere eundem motum, & tamen non potest reproducere idem tempus; quia tempus, quod semel fuit, non potest non fuisse: ergo distinguuntur saltem modaliter.

LVIII. Respondeo admissio antecedente pro 1^a parte, negando 2^m partem; ad ejus probationem, Respondeo, quod si reproducatur idem motus, reproducetur & idem tempus; per hoc tamen non fiet, quòd id, quod fuit, non fuerit; sed tantum quòd id, quod semel fuit, iterum sit; cum verò dicitur *ad præteritum non dari actionem*, id est, fieri non potest ut id, quod fuit, non fuerit.

LIX. Dices 3^o. aliæ sunt proprietates motus, & aliæ temporis, seu durationis; nam motus ab Aristotele dicitur velox vel tardus, tempus verò longum vel breve: ergo, &c.

LX. Respondeo negando consequentiam, quia illæ proprietates solò nomine & definitione formali differunt, prout dicimus motum & tempus solo nomine & definitione formali distingui.

RESOLUTIO III.

LXI. **D**ico 3^o. tempus est ita ens reale, ut nullo modo pendeat ab intellectu.

LXII. Probatur, quia identificatur motui; atqui motus ita est ens reale, ut nullo modo pendeat ab intellectu: ergo, &c. major patet ex præmissis; probatur minor, quia res realissimè moventur, & independenter ab intellectu: ergo, &c. Hinc

LXIII. Colliges sine fundamento Averroëm, Iandunum, Iavellum, Conimbr. 4. Physic. Amicum post ipsos tract. 22. docere tempus habere complementum ab intellectu in ratione numeri, videlicet, quia distribui in horas, dies, annos, &c. habetur ab intellectu numerante, eò quòd illa distributio in partes numeratas non sit de complemento numeri, magis quàm distributio ulnæ in quartas partes sit de complemento ulnæ; sicut enim ulna est, & completa est, antequàm in illas partes distribuatur, ita & tempus est, & completum est, antequàm in horas, dies, annos, &c. distribuatur: unde licet tempus ut distributum in partes dictas habeat complementum ab intellectu, ut tempus tamen illud non habet ab intellectu; cum verò Aristoteles lib. 4^o. textu 131. dicit, posito intellectu numerante impossibile, fore impossibile tempus,

agit de tempore ut distributo in suas partes, videlicet horas, dies, &c.

DUBIUM IV.

Possitne res esse, & nullibi ac nunquam esse.

RESOLUTIO I.

LXIV. **D**ico 1^o contrà RR. PP. Vasquez 1. p. Disput. 188. n. 25. & 27. Moncæum Disp. 1. contror. 8^a. Meratium 1. p. disp. 19. sect. 1. num. 6. Oviedum Physic. cont. 15. p. 7. Ponticium Physic. lib. 4^o. Disputat. 15. q. 2. nec Angelus, nec ulla alia creatura corporea, potest existere, & nullibi existere, etiam de potentia Dei absoluta: ita cæteri ferè omnes, qui dubium hoc movent.

LXV. Probatur 1^o. quia quandoquidem ex dictis disp. 4. dub. 3^o. prima posito creaturæ in loco, saltem aptitudinali, non minus creaturam præcedat, quàm ipsius creaturæ productio, sed hanc concomitetur; non plus potest creatura existere, & nullibi existere, quàm existere, & non produci, ut patet: ergo, &c.

LXVI. Dices, difficultas non solum procedit de re producta, sed etiam de ipsa rei productione; cur enim hæc non potest existere, & nusquam existere?

LXVII. Respondeo eandem esse productionis & rei productæ; hoc in puncto, rationem; sicut enim non potest, etiam divinitus, existere hæc productio, quin sit in hoc instanti actu vel potentia existente, ut patet ex dictis dub. 2^o. ita non potest existere, quin saltem habeat concomitanter ubicationem; quia præcisâ similitate existentia plurium locorum (propter quam solam distinguimus ubi à quacumque re, & non durationem, defectu illius) eodem modo se habet productio rei ad ubicationem & locum, quo se habet ad durationem, & tempus: ergo, &c.

LXVIII. Probatur 2^o. licet ubi esset quoddam accidens Angelo aliundè creato superadditum, per Dei omnipotentiam non potest Angelus existere, & nullibi existere: quia non potest creatura per Dei omnipotentiam existere, & Deo positivè præsens non esse, Deum positivè non penetrare, &c. sed hoc sequeretur, ut consideranti patebit: ergo, &c. sequela patet: probatur major: quia vel ipso Vasq. 1. p. Disp. 28. cap. 4. (ut norant PP. Oviedus & Comptonus) fatente, Deum esse penetrativè omni creaturæ positivè præsentem; est veritas Catholica, cujus ratio esse potest, quia sicut intelligi non potest Deum esse immensum, & non esse penetrativè in omni ente, & consequenter positivè præsentem omni enti: ita è converso intelligi non potest Deum esse immensum, & omne ens creatum non esse penetrativè in Deo immenso, & consequenter Deo præsens: quod à fortiori patet in simili: quia id intelligi non potest in materia, & formis in ea receptis, nam earum una non potest aliam penetrare, quin sit illi positivè præsens: & certè, quomodo illi est positivè præsens, si alia non sit illi magis positivè præsens, quàm si non esset? quod fieret, quia ubi, (per quod solum præsens est, & non per existere) non haberet.

LXIX. Probatur 3^o. sicut Deus non potest esse positivè omnium creaturarum Dominus, quin creaturæ

creaturæ ab eo positivè pendeant: ita non potest esse positivè immensus, ac per consequens positivè penetrativè in omnibus creaturis, quin omnes creaturæ positivè illum penetrarent, ac per consequens sint illi positivè præsentès: ergo, &c.

LXX. Dices 1^o. creatura erit quidem positivè præsens Deo per suam entitatem, sed non per ubi realiter distinctum: ergo, &c.

LXXI. Sed contrà 1^o. hinc sequitur ultimam superficiem hujus mundi esse Deo & creaturis præsentem per suam entitatem, contrà suos Authores. Ratio sequelæ est, quia si extrâ hunc mundum poneretur alius mundus, esset illi necessariò positivè præsens, vel ab eo distans positivè, nullâ factâ in illo mutatione intrinsecâ: quia positivè inter ipsum & hunc mundum posset aliud ens interponi, haud secus quàm nunc positivè inter duas mundi intercisi diametraliter oppositas superficies, omnia corpora intercepta interponuntur.

LXXII. Contrà 2^o. sicut creatura à Deo solo pendet per productionem realiter à se distinctam: licet Deus sit absolutus illius Dominus, & ex essentia sua determinatus, ut illam habeat à se pendentem: eò quòd illa creatura sit indifferens, ut sit, vel non sit, ut à Deo solo, vel Deo simul & creatura pendeat, &c. sic creatura Deo soli præter ipsam existentem, præsens esse debet, per ubi realiter à se distinctam, licet Deus sit immensus & ex essentia sua determinatus, ut illam habeat sibi positivè præsentem, eò quòd illa creatura sit indifferens ut sit in hoc, vel in illo loco aptitudinali; à dextris vel à sinistris hujus alterius rei localis; ut Deo soli, vel Deo simul & creaturæ positivè præsens sit, &c. Hinc quidem verum est, quocumque & quomodocumque ponatur creatura, semper habere præsentiam ad Deum, sicut quocumque & quâcumque actione producatur creatura, semper habet dependentiam à Deo: sed verum non est, quocumque ponatur, habere eandem præsentiam, sicut verum non est quâcumque actione producatur, habere eandem dependentiam: ac proindè, cum ad hanc, vel illam, indifferentiam habeat, illa ad unam præ aliâ præsentiam, aut dependentiam, determinari

debet, per aliquid realiter à suâ entitate distinctum: unde vel nobiscum ubi motui locali realiter identificandum, vel in ista absurda contrâ rationem & auctoritatem incidendum.

LXXIII. Dices 2^o ex Oviedo Physic. cont. 15. p. 8. n. 3^o. creatura erit præsens Deo, non per ubi-cationem aliquam in se receptam, sed per ipsam Dei immensitatem.

LXXIV. Sed contrà est 1^o. quòd sic creatura omninè esset Deo præsens per seipsam, sicut ubi positivum creaturæ est Deo per seipsum præsens: ubi autem non est Deo præsens per Dei immensitatem, si per seipsum: ergo nec creatura ulla.

LXXV. Contrà 2^o. immensitas Dei non est ratio constituendi creaturam finitè Deo præsentem, sed infinitè, prout indivisibiliter infinita est: & reverà, cum sit indifferens ad quamlibet ad se creaturæ localem correspondentiam finitam, non apparet quomodò aliam dare possit, quàm infinitam: quam tamen non admittunt adversarii in creatura illa, quæ nullibi esset: ergo, &c.

LXXVI. Contrà 3^o. sicut Dei omnipotentia non est sic ratio constituendi creaturam positivè à Deo productam, ut creatura existere possit, quin ullâ productione producatur; ita Dei immensitas non est sic ratio constituendi creaturam Deo positivè præsentem, ut creatura existere possit, quin ullam ubi habeat.

LXXVII. Confirmatur: creet Deus in instanti A duos homines, in instanti B annihilat eorum ubi-cationes, & sinè ubi eos conservet; vel erunt adhuc homines unus & unus, vel non? non 1^{um}, quia propter defectum approximationis, non est ratio, cur utrumque corpus uni animæ non uniat, & cur duæ animæ uni corpori non uniantur, vel cur eorum corpus & anima inter se uniantur, & hominem componant; neque etiam 2^{um}, quia aliqui inde sequeretur hominem non posse existere, & partes ejus non esse sibi invicem positivè præsentès, posse tamen hominem existere, & partes ejus non esse Dei immensitati positivè præsentès, cum tamen eadem sit, positiva partium inter se, & cum Deo præsentia. Sequela est absurda: ergo, &c.

DISPUTATIO ULTIMA

De Existentia Creaturarum ab æterno.

DUBIUM I.

An Creatura permanentes, aut successivæ potuerint esse ab æterno.

RESOLUTIO.

I. **D**ico contrâ Bonaventuram, Albertum Henricum, Toletum, Valesium, Murciam, & plures Thomistas, non admittentes infinitum in actu: item contrâ Mendozam admittentem infinitum in actu, & alios; creaturæ, sive permanentes, sive successivæ potuerint esse ab æterno. Ita è nostris Complut. & P. Daniel à S^o Iosepho 1^o p. Disp. ult. & alii.

II. Probatur 1^o auctoritate Aristotelis, qui cum expressè docuit mundum esse ab æterno (licet contrâ fidem & parùm consequenter: quandoquidem neget infinitum actu esse possibile) à fortiori docuit cum potuisse ab æterno.

III. Probatur 2^o, quia mundus, tam quoad creaturas successivas, quàm permanentes potuit esse ante, & ante, quàm fuit, in infinitum: si enim uno anno antè, quidni duobus, tribus, & sic in infinitum? ergo & ab æterno. Frustra negat consequentiam Murcia, eò quòd, si tempus esset ab æterno, esset infinitum actu, quod est impossibile, inquit: si verò antè, & antè in infinitum esset, esset tantum infinitum syncategorematicè. Ostendimus enim suprâ omne infinitum syncategorematicè esse infinitum categorematicè, sive actu: undè id omninò frustra dicit.

IV. Probatur 3^o, mundus, tam quoad creaturas successivas, quàm quoad permanentes, potest esse: in æternum à parte post, ergo & ab æterno à parte antè: iterum frustra negat consequentiam Murcia, dicens, ex antecedente non sequi dari infinitum actu, sicut ex hoc: frustra, inquam, quia hoc & illud, in ratione infiniti, idem sunt, ut etiam ostendimus su-

præ: numquid enim omnes creaturæ duraturæ in æternum à parte post, simul & semel sine ullo fine suæ durationis coexistunt toti æternitati Dei à parte post? cur hoc, nisi quia infinitæ actu in duratione?

v. Probat 4^o. quia nulla est repugnantia: ergo, &c. Probat antecedens: quia si quæ esset: vel illa esset ex parte creaturæ, & hæc non, quia à natura dicit præcisè esse creatum, abstrahendo ab esse creato in tempore, aut æternitate: vel ex parte Dei? & hæc etiam non, quia æternus est, & ab æterno infinite potens: si enim Pater potuerit ab æterno Filium generare, quidni & creaturam aliquam infinite imperfectiorem? supponas enim Patrem esse agens necessarium creaturæ, sicut fuit Filii, non ideo erit potentior: tunc tamen creaturam ab æterno produxisset, sicut Filium ab æterno produxit: libertas autem non obest, quia sicut causa necessaria eodem instanti, quo est, agere potest necessariò, ita causa libera eodem instanti, quo est, agere potest liberè, quia ad agendum non requiritur prioritas temporis in causa. Dicere autem cum P. Oviedo, effectum creatum petere esse in tempore; omninò fictitium & gratuitum est, nisi aliquà ratione fundetur & firmeretur.

vi. Confirmatur solutione Argumentorum.

vii. Objicies 1^o auctoritatem SS. Patrum, 1^o Ambrosii lib. 1^o Hexameron. cap. 3^o. *inconueniens est putare creaturam posse esse coeternam creatori suo.* 2^o Basilii citati à Murcia, qui id ipsum dicit esse blasphemum, idem ferè Damascenus & Augustinus apud eundem.

viii. Respondeo SS. Patres ibi loqui, non tamquam in sententia certa, sed probabiliter, ut aliàs sæpiùs contingit in Augustino, D. Thoma, & aliis: dici tamen potest illos velle esse inconueniens & blasphemum putare creaturam posse esse necessariò coeternam suo creatori, ita ut sit Deus ad eam ab æterno creandam necessitatus: quia liberè omnia creat, etiam creaturam, cui ex conditione suæ naturæ debita esset æternitas: nam Deus agere potest suprâ naturam rei, sic etiam patet ad SS. Patres, qui contrâ Arium probant Filium Dei esse Deum, quia est ab æterno: ille enim necessariò fuit ab æterno, ideoque Deus: directius tamen responderi potest, illos loqui ex hypothese, quòd omnis creatura sit in tempore creata, juxta illud Genes. 1^o. *In principio creauit Deus cælum & terram,* & definitionem Concilii Rhemenfis, quòd nulla creatura fuerit de facto ab æterno (de creabili enim nihil tangunt.) quâ hypothese positâ, bonum est argumentum: *Filius Dei fuit ab æterno, ergo est Deus.*

ix. Objicies 2^o, illa creatura esset creata, ut supponitur, & non esset, quia non esset instans assignabile in quo creata esset; sed hoc contradictionem implicat: ergo, &c.

x. Confirmatur, quidquid est creatum, debet transire de non esse ad esse: quia creatio est productio rei ex nihilo: ac proinde per illam est transitus de non esse ad esse: sed illud quod transit de non esse ad esse, debet prius tempore non esse, quam sit: ergo, &c.

xi. Respondeo negando maiorem pro 1^a parte: ad 2^{am} verò, Respondeo supponi falsum, videlicet, debere dari aliquod primum instans, in quo creatura creata sit: licet enim assignari debeat aliquod instans, in quo creatura creata sit, non tamen primum assignari debet; quia cum sit creata ab

æterno (ut supponitur) quodlibet instans assignabile præsupponit infinita instantia, in quibus prius, & prius in infinitum antè, creata sit: idem contingit singulis momentis in creationibus creaturarum: quia nulla est assignabilis pars proportionalis horæ, in qua primum res creata sit, eò quòd partes proportionales sint infinite, licet assignari possit aliquota, quia aliquotæ sunt finitæ: quælibet enim proportionalis, quæ assignabitur, habet infinitas alias præcedentes in quibus antè, & antè in infinitum res creata sit: ex quo vides illud argumentum omnes æqualiter urgere. Ad Confirmationem

xii. Respondeo distinguendo antecedens: quidquid est primum creatum, transit de non esse ad esse, concedo antecedens; quicquid non est primum creatum, sed ab æterno productum, & ab æterno conseruatum, nego antecedens: quia illud semper est. Ad probationem antecedentis, etiam distinguo, creatio est productio rei ex nihilo positivè, ita ut aliquo instanti debuisset nihilum præcedere, nego assumptum: ex nihilo sui negativè, ita ut sit tantum productio independentè à subiecto, siue non ex aliquo subiecto, concedo assumptum; sed hoc non importat non subiectum fuisse prius, sed tantum concomitanter: quia hoc ipso, & non antè, quòd est creatio, est productio ex non subiecto: alioqui cum Deus sit ex non subiecto, antè Deum debuisset esse non subiectum: quod nullus dixerit.

xiii. Objicies 3^o. nihil est prius æterno, ut sequitur ex Responione jam facta: sed motus habet prius & posterius: ergo, &c. Probat minor, tum quia successivus, tum quia necessariò debet habere terminum à quo: tum quia Sol v. g. productus ab æterno debuisset produci in aliqua parte cæli determinata, quæ fuisset ipsum prius & terminus à quo motus Solis: ergo, &c.

xiv. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in æternum à parte post; nihil est posterius æterno; sed motus habet prius & posterius: ergo, &c.

xv. Respondeo 2^o. distinguendo minorem; sed motus habet prius & posterius se adæquatè & collectivè sumptò, nego minorem; habet prius & posterius in se, & se adæquatè distributivè sumptò, concedo minorem: certum enim est imprimis motum habere plures partes, quarum una sit prior, alia posterior, & consequenter omnes partes distributivè sumptas habere priorem se: deinde certum etiam est quemlibet diem v. g. adæquatè sumptum, habere priorem & posteriorem in infinitum: falsum tamen est omnes collectiones omnium dierum, qui ab æterno fluxissent, si mundus ab æterno fuisset, habere priorem; quia alioqui æternitas à parte antè non esset infinita, haberet initium, &c. videlicet istum diem priorem se; ad quæ non satis attendit Arriaga, cum probat ex durationibus ab æterno debere dari unam primam omnium; quia omnis duratio habet aliquam priorem se (inquit) nam inde sequitur contrâ suppositum non esse factam collectionem omnium dierum à parte antè.

Ad probationem verò minoris,

xvi. Respondeo ens successivum, non esse illud, quod habet prius se, sicut ens successivum non est illud, quod habet posterius se; sed quod habet in se prius & posterius, uti haberet motus ab æterno; idem est de termino à quo, & ad quem; quia illud non est successivum, quod habet terminum à quo priorem se, & terminum ad quem posteriorem se, collectivè sumendo omnes illius partes; alioqui

alioqui aeternitas nostra à parte post non esset successiva; sed quod in se habet terminum à quo, & terminum ad quem: ad id verò quod additur de sole, Respondeo illum productum iri in parte determinata caeli; sed non primò; quia quodlibet instans assignabile in quo dicatur in illa parte productus, praesupponit aliud, & aliud in infinitum, in quo in illa parte productus sit: undè illa pars non potest esse ipsum prius, & primus terminus à quo ipsius motus caeli; quia, & infinita instantia, & infinitos terminos à quo prius existentes praesupponit, in quo semper decipiuntur aduersarii.

xvii. Objicies 4^o. si creatura fuisset ab aeterno, jam esset verum dicere, infinitum sive aeternitas pertransiit; sed hoc est absurdum; ergo, &c. Probatur minor, quia infinitum pertransiri non potest: ergo, &c.

xviii. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in aeternitatem à parte post; si creatura esset in aeternum, aliquando verum esset dicere, jam infinitum, sive aeternitas, pertransiit; sed hoc est absurdum, ut antè: hanc retorsionem fatetur Arriaga indissolubilem esse, ejusque solutionem in alia vita expectandam: verum non est, cur id dicat Arriaga, cum in nostra sententia istis argumentis aliunde satis clarè satisficiamus.

xix. Respondeo 2^o. distinguendo majorem, jam esset verum dicere, infinitum, sive aeternitas, tempore infinito pertransiit, concedo majorem; quia hoc est dicere aeternitas est tempus infinitum, quod omnino verum est: jam esset verum dicere infinitum, sive aeternitas, tempore finito pertransiit, nego majorem; infinitum duratione, tempore quidem finito pertransiri non potest, bene autem infinito tempore commensurari, quod ibi per ly pertransiri intelligi debet.

xx. Objicies 5^o. nihil productum ab aeterno, potest ab aeterno corrumpi; quia alioqui deberet simul esse & non esse, nam corrumpi supponit esse, & dicit non esse: sed omnis creatura omni tempore potest à Deo corrumpi: ergo, &c.

xxi. Respondeo distinguendo minorem: sed omnis creatura potest omni tempore à Deo corrumpi, positò quòd fuerit antè, concedo minorem; non enim, ut constat ex argumento, potest corrumpi, nisi antè fuerit; potest omni tempore à Deo corrumpi, positò quòd non fuerit antè, nego minorem: creatura autem existens ab aeterno, non potuit fuisse antè; ac proinde, nec ab aeterno corrumpi; potuit tamen produci ab aeterno, quia producti ab aeterno, non supponit non fuisse antè. quòd verò Deus illam creaturam ab aeterno productam ab aeterno corrumpere non possit, non est defectu potentiae in Deo, sed in objecto, videlicet, quia non potest simul ab aeterno res esse & non esse, quod sequeretur; quia tamen Deus illam creaturam liberè produxisset, licet necessariò per aeternitatem duraturam, ex hypothesi quòd à Deo producta esset, censeretur ex consequenti illam liberè conservare & remanere absolutus illius Dominus, eò quòd totum oriretur ex suppositione creationis Deo liberæ; sic enim duro 40 annis, supposito quòd Deus decreverit me 40 annis conservare, nec antè potest me annihilare, quantum est ex parte sui decreti; ideonè absolutè necessariò me conservat, & perdit absolutum in me dominium? Absit.

xxii. Objicies 6^o. productio creaturæ fuit

perfecta; sive absoluta uno instanti, vel non? si 1^{um}, illud instans fuit instans 1^{um}, in quo creatura existit; quod aeternum excludit: si 2^{um}, ergo creatura aliquod instans praesupponit in quo perfecta non fuit, quod aeternum etiam excludit.

xxiii. Respondeo totum illud argumentum evidenter retorqueri in aeternum à parte post; productio creaturæ quocumque instanti ex futuris erit perfecta, vel non? si 1^{um}, illud instans erit ultimum, in quo creatura existet, quod aeternum à parte post excludit: si 2^{um}, ergo creatura aliquod instans post-ponit in quo perfecta non erit, quod aeternum etiam excludit: si dicas creaturam sic fore uno instanti ex futuris perfectam, ut sit uno & omnibus futuris perfecta; dic similiter sic esse perfectam uno ex praecedentibus, ut uno & omnibus praecedentibus sit perfecta, alioqui argumentum concluderet ipsum Deum non esse ab aeterno: vel enim Dei existentia est perfecta uno instanti, vel non, &c.? quod tamen est haereticum. Pro horum complemento, sit

Q V A E S T I O N C V L A.

xxiv. Q V a e s an generationes animalium potuerint esse ab aeterno, & quomodo?

xxv. Respondeo non potuisse eo modo, quo jam sunt ordinariè, videlicet, ex praevia dispositione, & successiva membrorum conformatione; potuisse tamen hoc sensu, quòd antè quamlibet assignabilem alia praecessisset, ita ut aliqua non sit, quæ priorem se non habeat; sive sic ut ab aeterno non fecisset Deus aliquod individuum animalis, de quo verum esset dicere, est omnino primum, Deus non fecit prius illo, &c. sed ita unum creasset, ut semper priora & priora creasse debuisset; sic enim in tempore numquam creat aliquod individuum animalis, de quo verum sit dicere, est creatum in omnino prima parte proportionali temporis, non datur pars proportionalis temporis prior in qua creatum sit, &c. sed ita quodlibet in una parte proportionali temporis creat, ut semper in priori & priori creasse deberit: si verò supponas unum hominem creatum ab aeterno, & petas an ab ipso potuerint esse generationes infinitæ ab aeterno? Respondeo per Deum potuisse; ita tamen, ut nulla detur prima, sicut nullum datur primum instans, aut prima pars motus, in aeternitate; sed ita ut quemlibet hominem ab ipso genitum assignabilem alii infiniti ab ipso geniti praecesserint; sicut quamlibet partem motus ab aeterno existentis alia infinitæ praecesserunt, ita ut non sit prima illius pars assignabilis.

Hæc quidem abundè probant ea, quæ ad stabilendam praecedentis Dubii Resolutionem praemisimus; praesertim cum probatum sit Deum, tot instantibus praecedentibus, rerum, sive permanentium, sive successivarum, non existentias seu negationes tollere potuisse, quot praecesserunt existentiam; cur enim potius de facto negationem ablatam, quam illas potuisset? & illæ sunt infinitæ à parte antè, prout à parte post, utpotè ab utraque parte sine carentes. Sed difficilis occurrit objectio.

Dices 1^o. Si sicut quamlibet partem motus ab aeterno existentis alia infinitæ praecesserunt, ita ut non sit prima illius pars assignabilis, quam infinitæ alia non praecesserint; sic in generationibus hominum ab aeterno, quamlibet infinitæ alia praecesserint;

Q

tint;

ignia-
prius,
antin-
arum:
horæ,
pro-
iquo-
opor-
rece-
creata
quali-
quid-
esse,
crea-
con-
r est.
quo,
ita ut
nego
ctum
on ex
non
con-
d est
cum
esse
se-
ha-
nor,
ebet
odu-
arte
ter-
tum
mo;
c.
sed
col-
s &
um-
mis
ior,
stri-
um
am,
sum
am,
uil-
par-
vi-
at-
æ-
a o-
uit)
fa-
è.
ud,
est
t in
no;
a il-
m à
rio-
es;
qui

runt; neque hæ generationes, neque partes motus, dici poterunt esse ab æterno, magis quàm ego, aut quodvis aliud, quod infinitum tempus præcessit, dici possit fuisse ab æterno: ergo, &c.

Respondet noster P. Daniel à S. Iosepho in 1^m p. de Creatione rerum c. 4^o. negando quod in æternitate nil detur prius, adeoque esse oporteat primum, omne quicquid ab æterno est: nam (inquit) ut verum est, in æternitate non esse quicquam prius, quod idem posterius non sit; ita falsum est, cum æternitatis conditione pugnant, ut in ea sint alia aliis priora.

Sed contrà, per hoc nil solvit: nam, non quidquid est in æternitate est ab æterno: verum quidem est, quod omne id, quod ab æterno est, habeat posterius, & prius non habeat: sed quâ posteriori correspondet, ab æterno non est, & multò minùs quâ posteriori infinita se priora supponit, quod cum cuilibet generationi earum, quæ sunt ab æterno, conveniat, uti & cuilibet parti motus existentis ab æterno, objectio rectè contendit, neque illas, neque hunc, posse esse ab æterno; quod ibi non solvitur. Quare aliter

Respondeo 1^o retorquendo argumentum in ipsas generationum istarum & partium motus negationes, quæ, in omnium sententia, fuerunt ab æterno, & tamen nulla earum est assignabilis, quæ infinitas alias non præsupponat.

Respondeo 2^o distinguendo assumptum, motus ab æterno existentis partem quamlibet spectatam quâ parte infinitum ex partibus motus conflatur, aliæ infinitæ præcesserunt, nego assumptum; quia, cum ut sic distributivè & ut una seorsim ab aliis sumi non possit; sed collectivè & conjunctim cum infinitis aliis sumi debeat, eò quod infinitum ex solis infinitis conflare possit & debeat, ne vel una eam ut sic præcedere potest: spectatam quâ parte finitum ex partibus motus conflatur, aliæ infinitæ præcesserunt, concedo assumptum: sed priori, non

verò hoc posteriori modo, à nobis dicitur esse ab æterno. Vide dicta suprâ Disputat. 1^a de Infinito Dub. 3^o. & idem dic de generationibus ab æterno.

Dices 2^o. Achilles & Testudo rectè moveantur ab æterno; Achilles sua celeritate citius conficiet infinito tempore idem spatium, quàm Testudo, ac proindè unum infinitum tempus necessariò esse debet brevius altero, quod repugnat præmissis de Infinito, loco citato: ergo, &c.

Respondet idem P. Daniel, illud reverà vincere rectum ab æterno effici non posse motum, per porrectum sine sine spatium; quia repugnat æterno anteriori ex parte motum habere principium, atque adeo ullo circumscripti limite ex parte anteriori.

Sed contrà, per hoc etiam nihil solvit: nam, non omnis motus rectus per infinitum spatium ab æterno habere debet principium, si motus ita consideretur, ut ante quamlibet illius partem, priores & priores infinitæ, quomodo motum in Resolutione consideramus, præcesserint. Quare aliter

Respondeo negando assumptum: falsum enim supponitur, videlicet Achillem qualibet parte temporis infiniti, sive æternitatis, quâ parte tempus infinitum conflatur, moturum se velocius, quàm sit se motura Testudo, quod esse evidenter falsum, convincunt fusè probata Disp. citatâ de Infinito; solum enim velocius Testudine movebitur qualibet parte temporis infiniti, sive æternitatis, quâ parte tempus finitum conflatur, id est, quolibet instanti distributivè, & ab aliis seorsim sumpto; verum motum rectum non posse hoc modo esse ab æterno; sed priori modo dumtaxat, patet ex dictis ad objectionem primam; sic consequenter solvetur alias his affines objectiones; quas, vel omnes alii volunt esse insolubiles, vel non nisi verbis eludunt. Sit interim in DEO rerum omnium finitorem, Librorum octo Physicorum finis.

Finis Octo Librorum.

